

Resp Pj XVII - 437

PETRI BUNELLI.

TOLOSATIS,

EPISTOLÆ FAMILIARES:

Cum notis FRANCISCI GRAVEROL,
Nemausensis, Juris utriusque Doctoris.

*Additâ Praesatiunculâ ad Joannem & Jacobum,
Liberos suos, in qua de ratione opusculi, &
vitâ Bunelli differitur.*



TOLOSAE,
Apud Guillelimum - Ludovicum COLOMYES Regis
Typographum, & Hieronimum POSUEL, Bi-
bliopolas in Vico Portæ Arietis, sub Signo
Palladii Tolo'sani.

M. D C. L X X X V I I.



HERIBALDUS

LOGGATIS

ALLEGORIAS

— 10 —

— 11 —

— 12 —



N O B I L I S S I M I S
et
A M P L I S S I M I S
U R B I S T O L O S Æ
C A P I T O L I N I S
M E R I T I S S I M I S,

Domino Ludovico CAMPISTRON, in Curia Tolosana Patrono, Exconsuli, & iterum Praefecto Consistoriano. Domino Gabrieli BELY. Domino Petro COLOMEZ. Domino Joanni de SAINT-LAURENS, Militi, Domino de Fontanas, Canals & Grisoles, & Exconsuli. Petro de PAPUS, Militi, Domino de Lacassagnière. Domino Bernardo STELLANE, Advocato. Domino Bertrando de LA-TOUR, Advocato. Domino Tristano du FAUR, Militi, Domino & Baroni de Saint-Jory.

 T primū Epistolas Bunelli iterum typis mandare cogitavi, non hæsi dubius cui eas offerrem. Multæ enim cause sunt, cur istius libri tutelam à vobis petam, OCTO-VIRI CLARISSIMI?

Imprimis quia Illustrium Tolosatum
memoriam , statuis posteritati conse-
crale suscepistis. Nec certe immeri-
tò Bunellus locum inter eos obtinuit.
In his enim Epistolis tanta emicat ser-
monum elegantia & venustas , tanta
videtur probitas morum , ut nemo eas
legere possit quin auctoris nomen im-
mortalitate dignissimum esse fateatur.
Tale etiam est , CONSULES IL-
LUSTRISSIMI quod vobis offero
munusculum , ut non solum pergratum
vobis fore arbitror , sed & mea pro
vestris in me beneficiis memoria ,
splendidissimam & ultimo aeo duratu-
ram testificationem fore spero.

Vos autem , CONSULES VIGI-
LANTISSIMI , quidni , pro amore
patriæ & Consulatus vestri officio , non
solum hujus libri defensioni , sed
etiam singularissime commendationi
strictos esse dicere audeam?

Nec enim satis est , quod aures ves-
træ civium postulationibus semper pa-
teant : Quod in Reipublicæ Tolosane
negotio optima semper consilia suppe-
ditetis : Quod in justitiae tum crimi-
nalis , tum politica administratione ,

affectibus numquam, aequitati semper, serviatis. Expetit adhuc Respublica CONSULES MERITISSIMI quod colenda Religioni, juventutis omniumque morum institutioni operam detis. Hec sunt quae felicem Rempublicam ex felicioribus populis componunt. Ad hoc Collegium illud publicum cuius estis moderatores sapientissimi : Ad hoc anni illi ludi florales : Ideo singulis annis nobilissima præmia, iis qui summam seu in Poësi Gallica aut vulgari, seu in eloquentia Latina manum imposuerint, à vobis distribuuntur. Virtutis autem & elegantiae morum exemplar omnibus & calcar esse potest Bunellus iste, cuius Epistolarum lectio, virtutem necessariam & facilem &què ac amantissimam esse demonstrat.

Sinite verbis utar Caroli Stephani qui primus Epistolas Bunelli integras publici juris fecit : Typographi omni laude majoris, solique Roberto Stephano, patri suo comparandi, cuius nomen per celebre semper erit in Respublica litteraria. Habetis, inquit, quem non dicendo ac bene scri-

bendo solum, verum etiam exercendo,
deinceps imitari possitis; cuius exemplum
ac vestigia persequi nunquam
post hac, mihi credite, vos pœni-
tebit.

*Hujusce veritatis testem apud vos
habetis Tristianum Fabrum, Concon-
sulem vestrum, cuius Patres, non so-
lum Bunelli Mæcenates & Patroni,
sed etiam imitatores & amici strenui
fuere.*

*Favete ergo, CONSULES AM-
PLISSIMI, summo viro, cui faven-
tes Reipublicæ literariae æquè ac po-
liticae favebitis.*

*Tandem hoc specimen meæ erga vos
& dignitatem vestram observantie
lubenter accipite.*

CAPITOLINI NOBILISSIMI,

Observantissimus & addictissimus
servus & Typographus vester.
GUILLEMUS - LUDovicus
COLUMBIÆ.



FRANCISCI
GRAVEROL,
ACADEMICI REGII
NEMAUSENSIS,
PRAEFATIUNCULA

A D

JOANNEM & JACOBUM,
Liberos suos, in qua de ratione opusculi,
& vita Petri Bunelli differitur.

TOLOSAM, Liberi carissimi, debitoris improbi mala fides litigandi causā ire me impulit, & domesticos Lares relinquere coēgit, cūmque ob imminentes ferias forenses de reditu in patriam cogitarem, adstinxit Colomerius, & ea quā est ad literas humaniores promovendas animi propensitate, enixē rogavit ut notulas aliquot appingerem ad oram epistolarum Bunelli, quarum nova editio jam proximis diebus typis suis cūderetur. Votis ejus lubens annui, eō potissimum animo, ut quoniam Bunelli epistolæ stylum Ciceronianum maximè redolent, & mores castigatissimos exhibent, in eo, quūm feret attulita vestra, haberetis aliquando præceptorem qui vos ad rectè loquendum & animos vestros ad

é

probè vivendum , quæ sunt optimi parentis vota ,
in studiis amœnioribus informaret . Has itaque
notulas , opus triduanum , tanquam amoris erga
vos mei significationem grato animo excipite ? Si
quid autem in eis componendis imprudenti exci-
disse compertum fuerit , illud vos monitos volo ,
eas esse quæ mihi venerunt in mentem quasi stan-
ti pede in uno , & festinanter scribenti : plura
potuisse fortasse , & minus vulgaria congerere ,
si scrinia evolvere licuisset . Ut ut sit , non il-
lepidum sanè , neque illiberale fuit argumentum ,
in quo operam meam industriamque eo , quo dixi ,
animo volui collocatam . Faxit Deus , Liberi
Carissimi , ut si salus , quemadmodum spero , vos
neglectos nolit , iste litterarum amœnitates usui
vestro ita inservire possint , ut quām noveritis ,

Quid distent era Lupinis ,

Bunelli , qui virtutes omnes severiores , & homi-
ne Christiano dignas , coluit , vestigiis inhæ-
rentes , tanti viri morum probitatem , & in dicen-
do facundiam , valeatis assequi .

Quis autem & qualis fuerit Petrus Bunellus ,
quem male Catellus , vir alioquin diligens , Ste-
phanum nominat , paucis discite ? Tolosæ patre
Medico , doctissimo celeberrimoque natus est :
cum esse Guillelmum Bunellum existimo , origi-
ne Neustrium , & quondam in Academia Tolo-
sana Professorem Regium , qui tractatum de peste
latinè , & versibus etiam Gallicis , anno 1513.
edidit . Iam inde à puero Bunellus noster , cùm
incredibili literarum amore flagraret , Lutetiam
se contulit , & ita diligentem operam in amœ-
nioribus literis perdiscendis sub Roberto Dugatio
posuit , ut sibi magnum nomen in Coqueretico
Gymnasio ingenij claritate & nobilitate pepererit .
Tam bene positis initiis Tolosani rediit , nec
multò post , ut erat res angusta domi , Pata-
vium profectus , virtutis amor ei Æmilium Per-
rotum adstrinxit , qui illum humanissimè alui :

sed quoniam postulabat fortunarum suarum tenuitas, ut sibi in posterum prospiceret, patronumque eligeret, Chandonius, quocum conjunctissimè vixerat, omnem operam & studium adhibuit, ut satis amplà conditione, magnaque spe, à Lazaro Bayfio, Francisci I. Galliarum Regis apud Venetos tunc temporis legato, amantissimè exciperetur. Quām libenter, quām suaviter apud eum Venetiis tres annos vixerit, præclarè meminit in epistolis; nec unquam oblivisci potuit, quantā facilitate ipsum penitus literarum Græcarum rudem, sed tamen admodum cupidum, tulerit, atque etiam penè docuerit. Cum autem per literas Græcas usque eo progressus esset, ut per se posset nonnihil consequi, literis Hebraicis, Aloysio Grifalcone, viro eruditissimo, præceptore usus, operam dedit, & in tantum virum evasit, ut nedum Bayfium, Perrotum & Chandonium, intimos habuerit, sed literis Græcis Latinisque instructissimus, moribusque candidissimis prædictus, orbi literato ita brevi innotuit, ut Petri Bembi, Iacobi Sadoleti, Francisci Olivarii, Galliarum Cancellarij, Petri Daneshi; Arnoldi Ferrerii, Lazari Bonamici, aliorumque illustrium virorum amicitiam inruerit. Bayfio autem Legatione Venetā per honorisè defuncto cùm successisset Georgius Selva, Vaurenensis Antistes, Bunellum, ut Venetiis secum maneret, hortatus est: tam pii, tam sancti, tamque erudit Antistitis jueunda consuetudo soli Veneti tedium levavit, Galliam enim invisendi desiderio ardebat; ac tandem in Occitaniam redux Vauri apud Antistitem sedes suas constituit, ubi tanquam in solitudine, procul ab hominum improbitate, literis incumbendo, & quandoque Venatui indulgendo, eam vitæ tranquillitatem, quam semper adamaverat, & in votis habuerat, sibi paravit. Post patroni obitum Vauro relictā, cùm in maximas angustias Tolosæ conjectus esse videretur, ecce ei accur-

runt Fabricii fratres , qui , ut erant literatorum
amantissimi , sponte suā ad eum sublevandum om-
nem operam contulere ; hinc est ut fortunæ suæ
architec̄tos , eorum nomini fortassis alludendo ,
alicubi vocet . Forum itaque familiæ , ut par-
erat , addic̄tus , dum Petri Fabri filios in Italiam
comitaretur , Taurini vehementissimâ febre ætatis
anno quadragesimo septimo consumptus est . Si
ei par ingenio ætas contigisset , quippè

Monstrarunt terris hunc tantum fata ,

Aut si cum libris suis uno in loco se contine-
re sat diū licuisset , ad supremum doctrinæ gra-
dum haud dubiè pervenisset ; tam enim acri &
felici erat ingenio , ut ardua quæque assequere-
tur . Si morum probitatem spectetis & continen-
tiā , vix parem habuit , nedum superiorem ; si
scribendi genus nemo , solos Italos Tullio aut
Demostheni omnem eloquentiæ laudem prærep-
tos ire suspicabitur ; quin etiam Paulus Manu-
tius , politioris literaturæ decus (licet tam vano
homini & ventoso multū , hinc superbiæ , mul-
tūque spiritus accesserit) publicè testatum felici-
quit , se à Bunello maximum habuisse beneficium ,
quod se cum Politianis & Erasmis nesciebat qui-
bus miserè errantem , in rectam scribendi viam
primus induxisset . Cæterū etsi Bunellus in
pangendis versibus non multū operæ posuerit ,
nullus tamen , qui Simonis Villanovani epita-
phium legerit , Mofas ei iratas fuisse arbitrabri-
tur . Ejus , quas de maximis rebus , atque argu-
mentis meditabatur , orationes non extant ; ex-
tant tantum aliquot epistolæ summæ probitatis
indices , summaque eruditionis , & elegantiae
testes , olim Parisiis apud Carolum Stephanum
excusæ ; deinde Coloniæ apud hæredes Arnoldi
Birkmanni , ac tandem typis Henrici Stephani .
Ex his quædam in volumine epistolarum claro-
rum virorum impressæ , ac etiam ante Caroli Ste-
phani tempora Tolosæ typis mandatae fuerant .

Iam verò si doctorum virorum elogia requiratis,
consulendus Stephanus Forcatulus in poëmatiis,
ubi Bunellum Hortensio eloquentiorem fuisse asserit;
& Augerio Ferrerio fides si adhibenda sit,

*Unus Bunellus factus Ciceronis imago
Præripuit laudem Latio, vicitque loquendo.*

Plures alios recensere possem, sed instar omnium
sit Sammarthanus in Elogiis nec silentio præter-
eundum est Capitolinos Tolosanos, nè quid glo-
riæ tam Illustris viri deesset, marmoream ejus
statuam in Capitolio aliquot abhinc annis col-
locasse, accurante clarissimo viro D. Germano
Lafaille, Vrbis Syndico, amico multis nomini-
bus venerando, de Republica literaria benè
merito, cuique suum posteritas decus vicissim
rependet.



PAULUS MANUTIUS
Vido Fabro S.

NESCIO utrum fortuna succenseam, cuius culpa factum sit, ut ego tuas literas duobus ferè mensibus post eum diem, quo tu scripseras, acceperim: an eidem gratias habeam, quod mihi arculam quandam scriptorum evolventis, planèque aliud agenti, de improviso illas obtulerit. Gratias habeo potius, quod eodem tempore simul cum injuria beneficium accepi; & injuria beneficium præferri aequum est. Sed quoniam vereor, ne tarditatem in scribendo meam durius acceperis, hunc tu mihi scrupulum, vide, si ex animo evelleres, faceres humanè, nec tamen iniquè, cum hoc ipsum, quod commissum à me est, primum ex aliena culpa pendeat, deinde nunc quidem etiam corrigatur. Venio ad tuas literas, quibus mihi gratius nihil posuit accidere: dicerem jucundius, nisi clausula illa de Bunello meo, planè omnem jucunditatem eriperet. Nam sic sat existimes, ex illius viri interitu tantum me cepisse dolorem, quantum exaurire nulla dies poterit. Vixerat mecum Venetiis per quadriennium, cùm ego in illo probitatem morum virtutemque diligenterem: ille in me propensionem credo quandam ad literas non improbarer. Intercessere etiam inter nos officia quedam, sed à me levia, nec satis d'gna, que memoria tenerentur: que tamen ille (ut erat gratus) non meminisse solim sed prædicare etiam solebat: ego ab illo maximum habebam beneficium, quod me cum Politianis & Erasmus quibus miserè errantem,

in hanc recte scribendi viam primus induxerat.
Videbatur quibusdam natura severior, sed erat
lenissimus erga sui similes, hoc est, erga bonos vi-
ros. Vbi vitium nosset, censor acerrimus: dis-
tinguere homines, non fortunā, sed moribus so-
lebat. Loqui ad voluntatem neque ipse poterat,
neque ferre qui ad istam artem eruditus esset: to-
tus erat apertus, & simplex. Satis scio fuisse,
qui illum depravatae religionis nomine in crimen
vocaverint, quorum vitam si cum Bunelli vita
comparares, Socratem dices iniquorum conspira-
tione circumventum. Coluit omnes virtutes, &
philosopho dignas, & homine Christiano: sed
contineniam prater ceteras, hac ille triumphavit
maxime, & triumphavit adolescentis, cum ceteros vo-
luptas capit. Quò mirandum est minus, si tan-
tus postea vir ex tanto adolescenti factus est: nam
extremam vite partem, quam, ut in fabula ac-
sum, decet esse perfectissimam, heroicam scribis
fuisse, & plane divinam. Quare incumbamus &
Vide, & hanc operam Bunello nostro navemus,
ut illius nomen immortalitate dignissimum extingui
mortali cum corpore non sinamus. Quod equidem
enitar, & hominis mihi amicissimi, summi viri me-
moriām (si modò is ego sum, qui tantum presta-
re possim) projectò ab interitu vindicabo. Video
se in tuis literis idem velle, nec dubito quin possis;
nam & Bunellumamas mortuum, & vales plu-
rimū ingenio, quod etiam pietas excitabit. Cu-
jus officii societas è gratori utrius nostrum esse
debet, quod cùm apud alios laudabilis maximè
erit illustri exemplo gratiæ referendæ: tūm ad
animos nostros amore conjungendos, aternaque
necessitudine conglutinandos plus valere nihil
potest.

Reliqua erant in epistola tua magnifica quadam,
& eleganter scripta, de laudibus parentis mei, quæ
verissima fateor: quadam etiam de me ipso, quæ
non agnosco. Nam et si tibi nobilissimo adolescenti,
multi non solum fortuna, sed etiam naturæ, doc-

trinæque bonis ornato, & (quod caput est) virtutis amanti, placere maximè velim: tamen quia nemo habet tenus à me hoc impetravit, ut ea mihi asciscerem, que mea non essent, patere, obsecro te, de me ipso mihi potius me credere, quam tibi. Quod si cupidum esse laudis, laudem esse vis, isto me licet nomine non contemnas, quod ea que habent ii, qui laudabiles ducuntur, ego ut haberem, semper laboravi. Sed scis, velle & perficere non idem esse: alterum contingit mulier, alterum duntaxat iis, quos Dii diligere putantur. Quorum ego te in numero, optimè Vide, præstanti natura præditum, Bunelli præceptis informatum, confido facile futurum. Vale IV. Cal. Decemb. Venetiis.



P. BUNELLI.



P E T R I
B U N E L L I
FAMILIARES ALIQUOT
E P I S T O L A E.

E P I S T O L A I.

P E T R U S B U N E L L U S
Lazaro Bayfio,* Regis Galliarum apud Venetos Legato , S.

ETSI cùm ad eum scribimus , vir Doctissime , cum quo nobis nulla necessitudo intercessit , in ipso statim literarum

* Prima Epistolarum Bunelli jure merito Lazaro Bayfio , Andegavenfi , inscribitur , utpotè cuius

A

initio , quibus causis adducti id faciamus , accuratè exponere solemus : ego tamen in præsentia hoc exordii genere non utar. Longè magis enim in hoc laborandum est , ut me purgem , quòd tardius scribo , quàm in eo ipso declarando , quare scribo. Nam cujus rei prætermissæ culpam deprecor , eam honestissimè fieri potuisse , & debuisse consentaneum est : ac quod sine seelere negligi non potuit , ejus certè actio & cum laude erat conjuncta , & ad viri boni officium pertinebat. Eo igitur quod tractari minimè convenit , omisso , ad ea venio , in quibus summa contentione , & totis viribus enitendum est : neque verò priùs quiescendum , quàm causam meam tibi

liberalitate studiorum Bunelli fundamenta Venetiis jaæta sunt anno 1530. quo tempore Bayfius Francisci I. Galliarum Regis apud Venetos Legati munere fungebatur. Is ille est , cujus incredibilem eruditionem laudat Bunellus , *Epistola 21.* quique luculentas annotationes edidit , tūm in *L. 2. de capt. & postlim. revers.* in quibus tractatur de re naval i ; tūm in *titulum de auro , & argent.* legat. in quibus vestimentorum & vasculorum genera perquām eruditè explicantur. Nec insimus fuit Poëtarum Gallicorum , ut Eleætra Sophoclis , & Hecuba Euripidis , versibus Gallicis redditæ , testimonio sunt.

FAM. EPISTOLÆ. ε

probavero. Non patiar ingratitudinis, in cuius suspicionem imprudens incidi: non feram hujus vitii tetermini, in quo (ut est apud Ciceronem) nihil non ineſt mali, ullam in me maculam hærere. Intellexi ex multo & accurato sermone Chandonii, mihi planè maximis de causis amicissimi, te meas epistolas non ſolùm legiſſe, quod quidem permagni æſtimandum eſſet, verùm etiam authoritate tua präclarè commendasſe. Addebat etiam, te ad meos casus ſuſtentandos, ſi Venetias ire vellem, partem fortunarum tua-ruin pollicitum eſſe. Hæc ſi mihi al-lata fuiffent in tempore, incredibilem voluptatem ex eo nuntio cepiſſem, egifſemque tibi gratias, ut par erat, vel per literas, vel etiam corām. Nunc diſcrucior animi, metuens ne quo-niam id factum non eſt, aliquid fi-niftri de me cogites. Ego defenſionem neque veriorem, neque juſtiorem ha-beo, quām me nesciviffe, neque te de me loquutum fuifſe unquam, neque omnino aliquid epiftolarum mearum, quæ quidem meo nomine ſcriptæ eſ-fent, attigiffe. Quod ſi tibi persuaderi

finis , neque taciturnitatem meam durius accipies , neque quod ab ignorantia profectum est , ingratitudini tribues. Egōne in eum ingratus essem , qui & nullo meo merito me laudasset , & inopiæ meæ subvenire vellet ? res ipsa loquitur : pluribus non agam. Transeo ad beneficia tua. De meis epistolis non malè existimas : credulus ero in hac parte : is est animi tui candor , ea est consuetudo doctorum omnium , ut ingenii adolescentium favent : approbatio tua vim cohortationis habet. Neque enim eam facultatem , quam id ætatis adeptus sum , laudari puto : pergratum tamen est , quod facis : excitas enim ad majora , & illud , quod jam me adeptum bellè simulas , efficis , ut aliquando consequi posse non desperem. Hoc si frequentius inter Gallos fieret , neque bonarum artium tam pauci patroni essent : haberet fortasse Gallia , quos Italiæ opponeret , & de illa ipsa Ciceroniana eloquentia , de qua imprimis sibi Itali placent , cum illis & contenderemus. Istud quidem

^a Absit verbo invidia ; nam præterquam quod Bunellus noster Paulum Manutium , vel ipso Ma-

paulò audacius : sed scio cui scribam : ab Italis sanè hæc legi non velim. Sed nimis multa de meo scribendi genere. Venio ad ea , quæ tu de me levando cum Chandonio humanissimè differüisti : agam liberè tecum , sine fuco , simplicissimè , id est , more Gallorum. Me quidem institutæ vitæ ratio magis ad honestum otium , quam ad honorum cupiditatem dicit : hanc voluntatem mihi eripere de manibus conatur inopia: obsisto quantum possum , sed aliquis subsidio opus est : ruent enim studia , si fortunarum mearum tenuitate solummodo nitantur. Hic Chandonius me sollicitudine levare , ac reddere quietum vult , nempe quod tua mihi nunquam clausum iri dixeris. Nihil humanius , nihil munificentius dici potuit. Multa verò mihi veniunt in mentem : Primùm , si id fieret , vivrem cum homine Gallo , cum quo , ut arbitror , meus sensus facilè consentiret : deinde cum Bayfio , id est , cum

nutio teste , in rectam Latinè scribendi viam primus induxit ; primùm etiam Ciceronianè scribendi Bunello laudem constare , olim asseruit Henricus Stephanus.

eo, qui jam utriusque ^a linguæ cumulatam eruditionem consecutus est. Illud verò , quām honorificum apud Legatum Regis Gallorum non solum in gratia esse , verūm etiam in intimis haberi ? Occurrunt diversæ cogitationes , te mea opera non egere , in te omnia summa , in me nihil laudabile , præter animum : non esse prudentis hominis cujusquam liberalitate abuti : ostendi quidem multa honestissimè , quæ veluti promissa exigi non debent. Itaque pendeo animi : incertum est quid velim : quæ dicta sunt à te , in quam partem accipiam dubito. Pudori meo , etiamsi maxima egestate premerer , consulendum puto : voluntatis tuæ nemo certior est interpres , quām tu. Ego quod te velle intellexero , faciam , ac lubens. Percurri omnia parum diligenter : sed hæc epistola magis purgandi mei , quām eloquentiæ ostenditæ gratiâ , composita est : aliâs subtilius & politius. Bene vale. Patavii
vi. Cal. Novemb.

^a Non solum Latinæ , sed etiam Græcæ Linguæ cumulatam eruditionem consecutus erat Bayfius , ut patet ex Epistola sequenti.

EPIST. II.

ÆMILIO PERROTTO * S.

JUCUNDÆ mihi fuerunt literæ tuæ , sed ex ea parte imprimis , quatenus ostendis te officium scriben- di non intermissurum esse. Accipio igitur quod das : tu verò quod de meo, tuoque epistolarum genere scribis , parum abest , quin te objurgem. Etiámne tu , homo non solūm doctus , verùm etiam , quòd certò scio , pius , ineptias istas inter nos habere locum putas ? Dabis veniam , quòd negligenter scribo , hóque spinosis artibus , in quibus sum totus , attribues. Tu in ma- ximo otio , præsertim cum ratio tua ad eloquentiam spectet , & accuratiùs , & elegantiùs . Ad quæ sic habeto. Tametsi

* Æmilius Perrotus , qui & aliis Æmilius Ferretus dicitur (an errore id factum , non est hic disqui- rendi locus) Iurisconsultus fuit magni nominis , præsertim apud Italos ; ac fortè eo nomine Bu- nello carissimus , quòd in scribendo verba ad tri- tinam revocaret , & purè , ac Latinè loquere- tur.

in scribendo non multum operæ pone-re soles , neque id facere tibi per Accursum licet , purè tamen , & latinè loqueris : ex quo facilè perspicio quan-tum natura , ingenioque valeas , & quem gradum inter disertos tenere pos-sis , si aliquando te totum ad hæc studia convertas. Mihi quidem longè magis laborandum est , & hujusmodi excusa-tionibus sæpius utendum , à quo non-nihil limatus & perfectius expectari dicis , quòd huic uni rei dem operam : ita ut nisi labore , studio , diligentia , industria , ad mediocritatem aliquam procedente tempore perveniam , videar summaim vituperationem effugere non posse. Tu igitur non solum crebris li-teris , quod mihi quidem gratissimum erit , me exerceas velim : sed etiam quicquid ex Lazaro audies , quod qui-dem ad veram , & , ut nunc loquimur , Ciceronianam dicendi rationem attine-re putabis , peto abs te ut diligenter ad me perscribas. Valdè enim cupio nosse illorum mysteria : non quòd sine illis me aliquid consequi posse diffidam , sed quòd iis perspectis meam rationem cum illorum instituto conferre , & quodam-

F A M. E P I S T O L Æ 9

modo consilium certius capere possem. De Demosthene , quoniam non tibi magis in hac parte , quām mihi faves , tu ipse statue quid me facere velis. Bayfius , ubi me literarum Græcarum admodum cupidum vidi , cūm s̄æpe numero eo audiente quererer , neminem Venetiis Græcè profiteri , hōcque perincommode accidisse , respondit humannissimè , se velle desiderio meo , præsertim tam honesto , subvenire ^a. Invimus itaque hanc rationem , ut hora noctis prima , dum is leni deambulatiuncula ad cœnam se parat , ego aliquid ex Demosthene legam , ipse in vertendis Græcis animi causa se exerceat , facta mihi potestate , si quid velim , percontandi. Ad hunc modum Olynthias duas absolvimus. Qua die verò literas tuas accepi , cūm eas Legato , ut tibi scripsi , legerem , & ad eum locum pervenissem , in quo de oratione ^{æui} τῆς θεατροθείας quam Lazarus vertendam suscepisset ^b , mentionem faciebas , dixit

^a Immo & Banellum penitus literarum Græcarum rūdem tulit , atque etiam penè docuit ut ipse fatetur totidem verbis , epist. 21.

^b Nondūm enim latinitate donata fuerat oratio de male gesta legatione , quæ generis est judicialis ; eam

se velle, statim absolutis Olynthiis, eam quoque in manus sumere, ut ego ne in hac parte quidem vobis cederem, aut Lazarum desiderarem. Legatus Demosthenem non habet; quod facit, non tam sua causa, quam mea, facit: non quidem ut ludum aperiat, quod à dignitate magnifici viri alienum esset, sed ut animum à gravioribus curis relaxaret, ille quasi aliud agens, ludit in vertendo Demosthenē. Ego verò illud unum ago, & non vulgarem utilitatem ex ea re capio. Exposui tibi causam meam, quam ad te veluti arbitrum defero: quicquid statues, æquum justumque existimabo. Dictionary in Germania non excuditur. Quod Parisiis exorsum est, venit novem libris Venetis. Quod ad jus civile

postea latinè vertit anonymous quidam, ac tandem Hieronimus VVolfius. Olynthiacæ verò, de quibus in præsentiarum agitur, quæ dubio procul sunt duæ priores è tribus Olynthiacis, & inter suasorias orationes Demosthenis annumerandæ, non dum etiam conversæ fuerant à Philippo Melanthone, Ioachimo Camerario, & Christoforo Hegendorphino. Etsi autem in illis orationibus interpretandis medicas manus tanti viri multis in locis attulerint, plurima adhuc esse, quæ sana non sint, facile demonstrabitur in noctibus Nemauiniis, si Deus nobis hac otia fecerit.

F A M. E P I S T O L Æ. II

pertinet , allati sunt Commentarii ^a Marii Salomonii Albertici Jurisconsulti , Equitisque Romani , in Librum primum Pandectarum : ejusdem in . l. Gallus , & in §. Responsa prudentum , paradoxa Marcelli. Sed heus tu , quidnam audio ! Sonetus venit , imprudenter sanè fecit , Tholosæ mansisse debuit , ubi nonnullam apud imperitos eloquentiæ , apud peritos loquentiæ famam invenerat. Nunquam me hercle monstrâ illa , & portenta verborum , auribus Italorum ^b Ciceronis lectione tritis , & omnem sermonis peregrinationem respuentibus , probavit. Cervotum febre labotare , ut debeo , molestè fero : verùm , uti spero , & ut tu ostendis , brevi valitudinem recuperabit : cum tu meis verbis saluta. Hieronymo & Alixantio salutem ex me dicito. Accepit ante paucos dies Legatus literas ex ^c Brixio , quem tu ex sermone quorundam aut graviter affectum , aut etiam vita de-

^a Vide epistolam 32.

^b Itali (Ιταὶ γέροι τ' αληθῆς λέγεται) & stylis Ciceronianis amantissimi fuere , & summum Ciceronianitatis , si fas sit ita loqui , attigisse gradum existimandi sunt.

^c Germanus Brixius. Gallicè Brixie patrīa Antiflio.

functum existimas : vivit & valet , lusitque versibus aliquot in Veneris statuam , quam Rensus Regi dono dedit. Scripsit tria Epigrammata , mitto ad te unum breve , in quo Bayssi , meoque judicio melius , quam in cæteris illi successit.

*Quæ donata tibi Venus est , Francisci ,
volebat*

*Illa loqui tecum , posse loqui ars de-
derat.*

*Sed dum prævertis , mille admirata lo-
quenti*

Esse tibi Veneres , muta repente fuit.

dorensis , canonicus fuit Parisiensis , cuius elogia extant apud Paulum Iovium , & Samarthanum : in pangendis versibus tantum nomen sibi comparavit , ut ipse Thomæ Moro , tunc temporis poetæ famigeratissimo palmarum præripuerit ; id probat Antonius , probant & epigrammata in obitum Francisci Valesii Francorum Regis designati , & elegia in obitum Francisci Deloini , viri olim eruditissimi , atque alia id genus opuscula variis in locis Galliæ & Germaniæ excusa. Græcæ etiam linguae adeò peritissimus fuit , ut in latinam transtulerit orationem D. Chrysostomi de Babylâ Martyre , ejusdem homilias nonnullas in epistolam Pauli ad Romanos , & tractatum de Episcopatu & Sacerdotio , sive de dignitate & onere Episcopi ; plura editurus , ut erat D. Chrysostomi locutionis amansissimus , ni auri sacra famæ vitæ ejus dies imminuisset : vix aliud in tanto viro reprehendas , qui rara probitate , morum integritate , & doctrinâ omnia ignava erit.

Arnoldo nostro scribam , cùm erit otium, tu eum mihi saluta. Bene vale. Venetiis IX. Calend. Decemb. 1530.

EPIST. III.

JOANNI CAUSSADO S.

TU verò , mi Caussade , non impudens aut ambitiosus , sed parvus cautus negotiator mihi videris , quod ei grandem pecuniam credere velis , qui fidem suam tueri non potest. Ego tibi locuples fortasse videor , & ob eam rem tua omnia ultrò ad me defers. Sed si scias quantum æris alieni contraxerim , quod dissolvere nulla ratione queam , celeriter hinc pedem retrahas , neque posthac in promittendo sis prolixus & liberalis. Tu (ut apertè dicam) non nullorum hominum prædicatione deceptus , me doctum hominem existimas , & maximi beneficii loco , in meam amicitiam recipi petis. Sed audi secretō versiculum , quem ego semper in ore habeo :

-me quoque dicunt

Vatēm pastores, sed non ego credulus ille;

Videor quibusdam fortasse eruditus, quòd apud doctissimos homines vixerim, multosque annos in studiis literarum consuimpserim: verùm ego me ipsum non aliorum opinione, sed mearum virium imbecillitate metior. Debui, &, ut verum fatear, potui ad aliquem doctrinæ gradum pervenire, si cum libris meis uno in loco me continere, quam perpetuò sursum ac deorsum cursitare maluisssem. Hæc est hominum expectatio, quam fecelli, qua me vehementer premi sentio. Hi sunt creditores, à quibus urgeor, quibus te etiam atque etiam socium adjungis: debitum exigunt, diem venisse dicunt: ego præsentem pecuniam non habeo, inficiari neque volo, neque possum. quòd si erunt acerbiores in exigendo, cogar ad aram, aut ad novarum tabularum auxilium confugere. Peto igitur abs te, mi Caussade, si me amas, si à me amaris, ut hujusmodi homines reprimas & mitiges. Inops sum: dies vel potius annos aliquot ad solvendum mihi prærogari postulo. Hoc si impetro, aliquantum numinorum alicunde mea diligentia, uti spero, corrogabitur;

¶ Vide Epist. 8.

F A M. EPISTOLÆ. 15
quō illis, tibique aliqua ex parte satis-
fiat. Vale.

EPIST. IV.

ÆMILIO PERROTTO S.

SI quando longius erit intervallum
mearum literarum, ut nunc accidit,
& alias sœpe continget, peto abs te, ne
mihi id vitio des, néve negligentia,
aut oblivioni, potius quam occupatio-
nibus tribuas. Neque enim mihi tan-
tum superest temporis ad scribendum,
quam tu existimas, & præterea studio-
rum meorum rationem non immuto
libenter. Eveniunt multa quotidie,
quibus ego ne tam citò quam vellem,
tibi respondeam, impediō. Acceptis
literis tuis, quibus quæ te authore de
Villanova gesta essent, significabas,
quid etiam me in hac parte facere vel-
les, cum ego tibi & Gallis in ea mag-
nopere satisfacere cuperem, ecce tibi
Noviodunen. Episcopus, adolescens
sanè nobilissimus, & bonarum artium
imprimis studiosus, cum quo mihi

ante multos annos amicitia & familiaritas intercesserat, ad nos venit. Quæ vero præstanda fuerint veteri amico, nunc etiam Episcopo, tu melius scis, quam ego ipse. Omnino quantum quidem in me fuit, omnia officia diligenter & amici hominis illi præstiti, ac quoties eum ita velle existimavi, ab ejus latere nunquam discessi. De Villanovano paucis aceipe. Quis fuerit author vitae Longolii, neque Egnatius, neque is, qui imprimendis Epistolis Longolii præfuit, aliquid certi habent: audivi qui dicerent ab eo ipso Longolio scriptam: quod mihi quidem verisimile non fit. Incidi in nonnullos, qui Villanovanum authorem ^a esse conjicerent. Quod igitur compertum non habemus, pro certo inscribi oportere non sentio. De genere mortis fuit, cum ego idem existimarem, atque tu. Sed Legatus id factum quod tu suspicaris, pernegat. Ego his diebus in bibliotheca Realtina casu cum medico locutus sum, qui Villanova-

^a Ut erat Longolii studiosus, fertur author esse illius vitæ, quæ absque nomine edita est Basileæ anno 1540.

num peste interiisse planè confirmabat : addebat se accersitum à Florentinis quibusdam , ut ægrotum inviseret : adduci tamen non potuisse , ut eò veniret , quòd ex eorum sermone , à quibus vocabatur , certissima indicia pestis colligeret. Tu vide quæ post meum discessum te intellexisse scribis , num istis firmiora sint. Ego primùni in re tam dubia neminem accusari debere sentio : deinde etiamsi omnia explorata essent , tamen in Epitaphio , quod si cum ulla Italorum contumelia describetur , diuturnum certè non erit , hoc fieri minimè decet. **Quòd si hanc** plagam à nefariis hominibus accepit , Galliæ illucescat aliquando dies , cùm & opportuniore loco , & majore cum libertate hanc injuriam ulcisci poterit. **Quòd** verò in scribendo Epitaphio adeò exarfisti , ignosco dolori tuo , quem ego justum esse ex meo sensu facilè judico. Neque ego , qui non sic persuasus eram , ut tu , cùm aliquid simile scribere conarer , facere potui , quin aliquam particulam doloris in versus meos effuderim. Mihi quidem quod scripsi maximè displicet , neque , quod

sciam, unquam in hoc genere pejus mihi successit. Evidem propter intermissa mansuetiora hæc studia, musas mihi iratas esse arbitror, non tamen in eo multum operæ posui. Quod si aliud deligitis argumentum, & tibi aliisve per otium non licebit, ego aliquid elaborabo: omnino tamen ab alio hoc idem præstari mallem. Quod dic mihi tuæ literæ redditæ sunt, eo Demosthenis orationem cum Dictionario & meis litteris te accepisse puto. Quàm vellem esse Patavii, ut cum ^a Ludovico tuo, quem venisse audio, de rebus Gallicis perscriberes: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. Tardius quàm voluisse, allatus est liber Alciati de Verb. significatione: jam enim à nescio quo Egnatius alterum acceperat: itaque eum tibi remitto. Non tamen è minorem gratiam habeo,

^a Francisco nimirum Ludovico, qui tunc temporis Marosticæ vivebat cum Æmilio Perrotto. Idem fortassis est ac ille Ludovicus Luisinus, Vtinensis, qui Commentarium edidit in Horatii librum de Arte Poëtica, & tractatum de compescendis animi affectibus; parerga: etiam libros tres (superadditis deinde septem aliis) in quibus tam in Græcis, quàm in Latinis scriptoribus multa obscuræ loca aperte, & doctissimè declaravit.

quòd is non est usus beneficio nostro :
ego enim quod debui & potui , præsti-
ti. Tu verò quemadmodum neque in
aliis antea , ita neque nunc in hoc mi-
hi roganti defuisti. Bene vale. Venetiis.
Pridie Calend. Decemb. 1530.

SIMONI VILLANOVANO *

Belgæ, Græcè Latinèque doctissimo, cum
bōnis omnibus disciplinis , tum synceræ
Philosophiæ imprimis dedito , ob miri-
ficam scribendi elegantiam & subtilita-
tem , quam etiam suis scriptis , quæ à
nonnullis premuntur , expressam reli-
querat , testimonio Longolii toti Italiae
præclarè commendato , Galli , in demor-
tui patriæque commendationem , pla-
cata Italia , posuere.

*Nescio quo impulsu Italiam. cœlum-
que alienum .*

*Pratuleras patriæ Villanovane tue:
Invidit tibi : nec peregrinum vivere
passa est.*

*Ossa inhonorato condidit in tumulo:
Reddere non potuit sensum , vitamque
sepulto :*

*Hoc tibi restituit Gallia , quod
potuit.*

* Iste Villanovanus , Michaëlis Villanovani ,
Doctoris Medici celeberrimi , coxus , cā erat in

primis annis eruditione , cuius penè extremi adolescentiæ anni capaces essent , ut verbis utat Longolii , ei familiaris : illius videre est Epistolam in volumine epistolarum clarorum virorum ; scripsit & quædam alia terso ac nitido sermone ; nec tam pauca essent , nisi summæ spei adolescentem mors immatura rapuisset.

EPIST. V.

CARDINALI CORNELIO * S.

JULIUS CAMILLUS , vir summa eruditione , & rara probitate , ita mecum discedens egerat , quasi de re mea amplius deliberandum non esset : cuius ego promissis impulsus , statim à discessu illius Patavium sum profectus , tum ut fidem , quam is tibi

* Cardinalis Cornelius ille est , quem Patavinus Rentore à voce , & rarā memoriā præditum olim iudendo depraedicavit ; cùm enim Cornelius per fenestellam capellæ è conciavi , ut moris est , electionem Adriani VI. in Pontificem Maximum assumpti , Populo Romano publicaret , & ob vocis defectum à paucis intelligeretur , Cardinalis de Campegio , vocalissimus , ejus vicem præstitit : dumque in electione Iulii III. ad altare vacuis manibus accederet , suffragii syngrapham præ oblivione in scanno reliquit , ita ut omnium Senatorum canthinnum excitarit . Illud ipsum ter accidit in aliis scrutiniis , Cardinalibus nimirum Cauriensi , Sforzato , & S. Angeli .

de me dederat, liberarem: tum ut, si velles, eruditio*nis* meæ, si modò ulla est, periculum facere posses. Itaque domum tuam veni, cum Josepho primùm, deinde cum^a Bernardino, optimis sanè viris, sum collocutus. Hoc responsum tuli, eo die te minus rectè valere: de medicorum sententia, ne quid ad morbum accederet, à rerum graviorum administratione, in totum abstinere decrevisse: neque verò dubitandum, quām tibi ratum gratūmque esset, quod Julius Camillus de mercede mecum tuo jussu confecisset, redirem modò Venetias, ab Oratore, cuius voluntatem semper excipiebam, de abitu impetrarem: tibi quidem certè meum adventum expectatissimum esse, ut illi te velle confirmarunt. Ita feci, & jam libros meos in navem imponere cogitabam, cùm te Venetias quasi colligendi tui causa venisse de nonnullis audio. Ne multa, nihil mihi prius faciundum putavi, quām ut te primo quoque tempore quām honorificentissi-

^a Is est, ut puto, Bernardinus Cortona, vir magni nominis apud Italos, tūm ob summam pietatem, tūm ob doctrinam singularem.

mè salutarem. Ex eo ingressu cœpi suspicari (dicam apertè , ut mea fert natura) te malevolorum quorundam obtrectationibus immutatum esse : ita enim mecum locutus es , quasi dubia , & incerta planè adhuc essent omnia : te scriptorum meorum nihil legisse : quam longè per linguæ Græcæ studia proficissem , nescire. Vehementer sancè admiratus sum , hæc tum demum abs te dici , cum integra mihi non essent omnia , & cum jam me in eum locum demissem , unde facile exitum reperire non possem. Quod cum neque familia Corneliorum , neque prudentia , neque verò fide tua dignum mihi videtur , totum hoc ab invidis manasse non dubitavi : facileque intellexi , quam rem apud te adjumentum allaturam sperare , eam vel maximè contra me facere. Commendatio non vulgaris Julii Camilli , quæ me apud te in gratia ponere debuit , magnas invidiæ procelias , quæ nullo negotio hominem Galium in Italia obruere possent , excitavit. Evidem vir mei amantissimus nihil prætermisit , veruntamen re ipsa experior , abundantia quadam amoris

lapsus est. Ea enim me invito , & reclamante scripsit , quæ maximam (ut temporibus istis) ad conflandam invidiam , multorumque odia excitanda vim habent. Quod igitur nihil plurimum prodesse debuit , id quorundam iniquitate in perniciem meam consum est. Totum illud tamen in hac mea infœlicitate percommode cecidit , quod , prius quam in tuam familiam receptus essem , cognovi , tum ex vulnus , tum ex sermone , me occulte , & per cuniculos , à nescio quibus oppugnari. Semel enim admissus in tuorum numerum , sine summo animi dolore ejici non potuisse : nunc autem excludi me tum facile patior , tum etiam gaudeo. Quid enim miserius me dici aut fingi potuisset , si in domum quidem tuam essem ingressus , ex qua aut statim cum ignominia exeundum , aut si in ea permanere yellem , perpetuo animi dolore contabescendum esset ? Tanti , Deum obtestans juro , non sunt apud me omnes omnium divitiæ. Evidem animi tranquillitatem mihi eripi nolo , quam ut retineam , cedam invidiæ , cedam malevolentia , neque de hac re

posthac me tibi offeram. Quanquam enim tibi homini doctissimo, & humanissimo satisfacere, ni fallor, possum: Cornelio tamen, id est, homini locupletissimo, tam multis literarum nomine aliquid expectantibus, obsesso, satisfacere non possum. Hæc scripsi ad te summa libertate, ut ingenium meum, & studia nostra, à quibus omnis simulation abesse debet, postulant. Quæ si tu non aliter accipies, atque à me scripta sunt, meam hanc querelam ad alios quosdam, ad te nulla ex parte pertinere judicabis. Ego cæteris in rebus meum officium, operam, diligentiam, obseruantiam ad te defero: tu, si placet, non eò minus, quod apud te non vivam, me tuum esse existimabis. Equidem quæcumque tum sanctissimo religionis Antistite, tum benignissimo literarum patrono digna erunt, semper de te & sentiam, & prædicabo libenter. Vale. Venet. Prid. Calend. Novemb.

XXXI.



JOSEPHO

EPIST. VI.

JOSEPHO MAGETANO S.

ITA esse ut tu scribis prorsus mihi per suadco , suavissime Josephe , me de Cardinalis immutata voluntate temerè suspicatum , tibi sanè majorcm in hac parte , quām mihi fidem habere volo. Neque enim , nisi ita res haberet , tu , quem mei amantissimum esse cognovi , tam valdè affirmares : & ego virum amantissimum , ac inter suos facilè principem , semper de studiis meis non malè existimasse , mihi persuaderi cupio. Quibus tamen rebus , ut planè à me ab alienatum existimarem , adductus fuerim : quamquam in ea epistola , quam ad Cornelium scripsi , satis aperui , tibi tamen familiariùs exponam. Audiveram Patavii esse , qui Julio Camillo partim obscurè inviderent , partim apertè ejus existimationem oppugnare non desisterent : quorum institutum equidem laudare non poterām , quod homini , ut ego sentio , optimo ac eloquentissimo , qui nihil de eorum laude aut quæstu detrahete vellet , nulla præsertim ab eo injuria lá-

B

cessiti , nocere cogitarent. Nam ut largiar illis , quo maximè nituntur , artificium nunc primùm ab eo excogitatum & inventum , omnem fidem excedere , favere tamen pulcherrimis contibus , non obsistere debuerunt. Gallorum fortasse partes istæ fuerint , ei qui per fraudem (ut quidem isti putant) aliquid à Rege auferre velit , aditus omnes præcludere. Ab Italis quidem homo Italus in re tam honesta adjuvandus fuit : sed de hoc ipsi viderint. Redeo ad id quod cœperam. Intellexeram Julium Camillum flagrare invidia , cuius commendationem , ut apud Cornelium gratiosam , sic apud nonnullos invidiosam fore : ubi primùm res agi cœpta est , prædixi. Hanc meam prædictionem nonnulla , quæ à Cornelio in eo congressu , unde nata est suspicio , dicta sunt , vehementer sanè confirmarunt , vultus tristis , oratio severa , incerta quidem signa , signa tamen animi non satis benevoli. Quid illa ? cùm ego dicerem me daturum operam , ut expectationem , quam de me Julius Camillus excitasset , aliqua ex parte sustinere possem , respondit commoto .

ut m̄ hi visus est, animo, incredibile quiddam sibi videri. Quis has voces malevolorum esse non crederet, præfertim cui nota essent, quæ de me ^a Julius Camillus scripsisset? Ad extremum adjecit, se genus scriptorum meorum quale esset, ignorare, redirem quo die vellem, unam de meis epistolis afferrem: sibi quoniam aliquò proficiscendum esset, pluribus mecum agere non posse. Respondi, me omnia, quæ vellet, esse facturum. Ita discessimus. Non longè aberam, cùm ego extrema ista cum superioribus contexens, rem totam attentiùs cœpi perpendere. Ne multa: hanc feci sumimam cogitationum mearum: eos, qui Julium Camillum odissent, mihi quoque invidisse: vix præstare posse, ut is essem, quem Julius Camillus fore recepisset: eodem illa de meis epistolis pertinere: quod tanti viri testimonium, quod ille multò amplius, quām volebam, dederat, in dubium vocaretur, id quorun-

^a Vir summā eruditione, Petro Bembo familiaris, cui Amphitheatrum suum dicavit. Edidit & ideam theatri, & poēmata duo, quorum alterum inscribitur, *Roma triumphans*, aliud *Theocritus*.

dam inimicorum artibus effectum esse : neque verò tam accuratè me quicquam scripturum , quod animos istorum ipsa malevolentia jejunos , satiare posset : mihi jam non cum Cornelio , sed cum Julii Camilli æmulis rem esse : cum illis , si Patavium item , suscipiendam necessariò dimationem. Itaque deliberationem conclusi , è re mea nequam fore , si in has turbas conjiceret , à quibus & natura , & vitæ meæ ratio abhorreret. Veni domum , non jam dubitans , quid mihi faciendum est : valde tamen iratus iis , qui & talem patritium , & tuam , & Bernardini consuetudinem eripuissent. Incensus dolore , ea ad Cornelium scripsi , quibus melevolos accusans , quid facere decrevissem , non asperè , sed apertè , sine ultra circuitione explicabam. Hic tu me rogas (in quo amicitiæ nostræ injuriam facis) ut me totum vobis remittam , & placabilem præbeam : quæ bono animo dicta sunt , ne durius accipiam. Tu ergo alicui me iratum putas ? Erras mi Josephe , si hoc de me tibi persuades. An ignorare me credis , quod ridiculum fuerit , me hominem Transalpi-

num, in Italia, Italo vel ignobili irasci? Verum si præteritis nihil offensus es, amabo mi Josephe, sustine te parumper, & ubi rem audiveris, consilio me juva. Ego simul ac me à vobis exclusum credidi, dixi Oratori de Patavina illa conditione, quod sperabam mihi non successisse. In quem sermonem cùm ingressi essemus, multa mecum ille humanissimè, ut solet, differuit. De discessu nihil certi se antè constituere posse, quām literas è Gallia accepisset: & quoniam à voluntate Regis hæc penderent, fieri posse, ut hic quartus annus quintum adduceret, se in utramque partem æquo animo esse: optimum sibi videri, si non priùs me commovere, quām de voluntate Regia certior fieret. Sive enim manendum, nihil esse quod laborarem: sive decedendum, tunc quoque satis maturum, ut meis rationibus prospicerem, fore. Dixi, mihi vehementer consilium probari, & in utramque partem esse tutissimum. Itaque me eo usurum, in quo sine maxima levitatis suspicione non perseverare non possum. Hoc loco non urgeo, ut mihi consilium des, & sententiam

de his rebus exponas tuam : mihi certum est, quicquid potius perpeti, quam constantiam non retinere. Dao modò abs te peto : unum , ne me iracundia , aut arrogantia, sed justissimis de causis, quominus ad vos hoc tempore veniam, prohiberi : alterum , Antistiti Cornelio ut istud idem persuadeas. Cui quidem propter eam voluntatem , quam erga me declaravit, tantum debere me existimo , quantum si me omni beneficiorum genere cumulasset. Venet. Idib. Novembr. M. D. xxxi.

EPIST. VII.

ÆMILIO PERROTTO S.

QUOD minus sæpe superioribus diebus meæ literæ ad te pervenerunt , negligentiae tribuere si voles , erit illa quidem durior accusatio , neque tamen non vera : non enim sum inscribendo impiger. Itaque in confessione criminis deprecatione utendum erit. Adjungam tamen & alteram defensionem , me rem non habuisse. Tertium item , tuos municipes Marosticanos mi-

nus frequenter , quām antea , hūc venire. Satius ergo non accusare , quām reum tibi eripi. Quod si mihi dicam intendere voles , & ab hac sententia deduci non poteris , vercor ut per quartanam vadimonium obire possis : atque ut ea careas , Venetias tamen in litem tibi veniendum erit , ubi ego splendore , gratia , copiis Oratoris ad corruptiōnem judicij abutar. Sed extra jocum : amabo te , mi Āemili , quid tibi vis ? cur te enecas ? cur valetudinis rationem nullam ducis ? Incumbendum quidem est in studia : verūm & illud currandum , ut quām diutissimē sacerere possis. Memini olim me tibi in hanc sententiam scribere : vide ne dum nimis festinas , uspiam offendas , ac te præcipitem des. Quare simul atque ex febri te laborare intellexi , magnum accepi dolorem , veritus ne id quod prædixeram , evenisset. Quò igitur majore metu de morbo tuo sum perturbatus , eò vehementiori lætitia propter recuperatam valetudinem totus efforor. Nihil est igitur , quod de medicina tibi tradenda laborem , cùm jam bellè habeas. Equidem cùm ab ineunte ætate à patre au-

divi , tum nescio quis Gallus , juris Pontificii magis , quām bonarum artium studiosus , qui te unā cum Noviodunensi Romæ vedit , & à ^a Georgio literas mihi attulit , cum peteret ubinam essem , ut valeres , ego te Marosticæ quartanam habere respondissim : dixit , illud idem quod ego jam inde à puerō à patre didiceram , à doctissimis Italix medicis responsum esse , Quartanæ præter moderatum vietum medicinam nullam adhibendam esse . Verū finamus valere quartanam : veniamus ad alia quæ requiris . Primum illud est , quod aīs , te , dum ægrotares , de tuo in Galliam redditu sæpius cogitasse , ad extrenium & inchoati operis , & cōstantiæ causa in eam sententiam venisse , fore honestius , si perlectis L. Pandectarum libris , tum demum ex Italia decederes . Neque tamen hoc apud te fixum esse videtur , cùm petas meum tibi de hac re judicium perscribi . Non mihi sumo , mi Æmili , ut plus in tua re videam , quām tu ipse : verū quoniam ita vis , aperiam paucis quid sentiam . Si quis est qui studiis tuis favcat ,

^a Georgio Cognetio de quo Epist. 33.

cáque ad exitum perduci velit , is ego sum. Quid si in Italia solum id conséqui licet , author tibi sum , ut ne eam relinquas. Si verò ea quæ in animo habes , tam bene in Gallia nostra , quām inter Italos efficere potes , cò profiscare censeo , ubi & suavius vives , & lubentius , si res ferat , moriere. Quid tibi accidat nescio : sed ego humanitatem illam verè Gallicam ita desidero , ut magnam de alacritate studiorum meorum partem hæc res mihi detraxisse videatur. Præterea cùm te hæc regio neque doctrina , neque vivendi exemplis augere possit , non video cur patriæ , quæ utrumque suppeditare potest , eam præferas. Si otium spectas , multi vici sunt in Gallia salubri cœlo , summa amoenitate , procul ab interpellatoribus. Si opinio hominum te movet , mea quidem sententia Tolosæ leges interpretari , quām Marosticæ vivere , ad sanitatem accommodatius est. Adde tot pericula , quibus expositi sumus , quæ subire cùm res cogit , ut magni excelsique animi est : ita cùm neque necessitas compellit , neque utilitas suadet , velle tamen in discriminine ver-

fari, aut temerarii, aut etiam amentis est. Nihil dico de moribus horum hominum corruptissimis, quæ una causa hominem Christianissimum commovere debet: nisi fortè tua nihil referre existimas, quibus cum vivat aliquis, cuius consuetudine utare. Ego quidem de ipsis hominibus intimum habeo neminem, & tamen mihi oculi dolent, quoties in eos incurro, & simul sanctissimorum amicorum sermones requiro, quibus alter alterum Tolosæ ad pietatem hortabatur. Scripsi pluribus meum de hac re judicium: tu quod putabis è re tua esse, id facies. Transeo ad alia. Imperator crebras expectationes sui commovet, verum Germaniam cùm pacare non possit, re infecta redire existimat. Omrino de his rebus incerta & varia ad nos afferuntur. Jactatum est à nonnullis eum ^a ad Luthe ranos inclinasse. Hujus rei præter rumorem nullus author erat. Thurca, ut existimo, nihil minus quam de pace cogitat, præsertim nunc ^b Mathona

^a Vide Epistolam 30.

^b Vrbs est Peloponnesis, Ptolomeo nota, quæ hodiè Modona dicitur.

recepta à Cruciferis illis equitibus , in qua civitate recuperata tantum nos lucri fecimus , quantum-damni in Rhodo amissa acceperamus. Venetis res non ita placet. De Gallorum in Italiam adventu falsa sunt quæ audisti. Itali quidem dimissi sunt , accepto tamen prius trium mensium stipendio , adçò ut nonnullis Rex non tam eos à se dimittere , quām in Italiam mittere voluisse videatur. Hoc nuper ad nos allatum est , Reginam nonnunquam in venationem exire solitam , sectarique cervos , veluti alteram Dianam : equum verò tanta velocitate incitare , ut quodam die Regem ipsum anteverterit , ac dum per devia & saltus ad latratus canum , modò huc , modò illuc vagatur , prior ad cervi interempti spectaculum pervenerit. Hæc latiora sunt , & ^a leviora : quæ sequuntur , graviora. Rex Ligures omnes severissimis edictis propositis primo quoque tempore è Gallia jussit exceedere. Edictorum multa sunt capita : unum quod ad novas tabulas pertinet , quorum tertia pars ad debitorem , duæ reliquæ ad Regem rediunt.

^a Paronomasia.

B vj

Quanta in trepidatione sint amici nostri
Ligures , tu existimare potes. Rumor
est eos apparare omnia ad bellum ne-
cessaria. Rex quid in animum induxe-
rit , divinare non possum : multa ta-
men concurrunt , ut bellum proxima
æstate fore existimem. Non minimum
signum , quod audivi de quodam certo
homine , Regem ad exædificandas na-
ves longas animum adjecisse , quæ tu
nemini dixeris. Quid præterea ? quid ?
dicebant Reginam ad fratrem velle
proficisci. Hactenus de rebus publicis ,
ut quodque veniebat in mentem tibi
scripsi , non latine quidem , quod in
hac epistola magna ex parte facere ne-
glexi , sed aperte. Audi nunc pauca de
privatis. Binæ literæ eodem ferè tem-
pore à Georgio redditæ , in quibus hoc
significabat , se Tolosam rectâ profici-
ci , causam non explicans : tantum ad-
scribebat , se de voluntate patroni id
facere : hortabatur ut si vellem , Ro-
main venirem , fore mihi omnia cum
Jacobo communia : nihil ferè præterea ,
nisi se nostras literas accepisse , & alia
quædam , quæ ex amicorum literis jam
intellexeram. Fratris enim & amicorum

jam triduo ante literas acceperam. Tolo & fœliciter omnia Qui jurisdictioni ordinariæ præterat , Regi à libellis est. Michaël Faber in fratris locum succefit. De matrimonio res . confecta , clām , tamen ex animi sententia. Quid quæris ? ut ad eorum fœlicitatem , ita ad meam lætitiam , quam ex his rebus capio , nihil addi potest : uterque pius , uterque meus civis , uterque mihi amicissimus. Ego quidem quodammodo mihi tribui existimo , quod illis datum est. De morte Domini ab Anna , puto te audivisse , cuius loco ^a Patus jus Pontificium interpretatur : est à bonis literis non abhorrens : gaudet tales viros augeri honore. Rector Saxonis Tolosæ est. Rescripsi ad omnia , nisi de Haloandro : sed hoc erit alterius epistolæ argumentum. Bene vale , & valetudinem tuam cura diligenter. Saluta ex me Ludovicum , tum Franci-

^a Legendum puto Pacus , cuius extat singularis interpteratio tituli de mandatis Apostolicis in Concordatis , quam publici Iuris fecit Petrus Pappus , Tolosanus : Matthæus autem ille Pacus Ius Pontificium Tolosæ interpretabatur. Circumferuntur à Biographis Matthæi à Paco , Toletani , commentarii in Concordata Regis Franciæ cum Summo Pontifice.

cum , & alios amicos , si qui sunt
Marosticæ qui nos ament. Sed heus
tu , ne tibi quod ad me scribas , de-
sit , exerce te in hac deliberatione ,
Româmne mihi eundum transacta
hyeme putas. In altera parte hæc in-
sunt : Oratoris humanitas , & erudi-
tio , quibus studiorum meorum ratio
nititur : suspicio levitatis , cùm bono
loco sis , velle aliò transfugere : stulti-
tiæ reprehensio , quæ veniam non ha-
bet , si me facti postea pœnitibit. In
diversam partem ista impellunt : Ve-
netiis non esse consenescendum: viden-
dam Romam necessariò : nullum tem-
pus magis idoneum inveniri posse ,
quàm dum noster Jacobus illè est , qui
& se , & sua defert , & quodammodo
meum adventum cupere videtur : in-
constantiam ab eo abesse , qui annum
& quinque menses Venetiis vixerit:
stultum non esse , qui studio rerum
pulcherrimarum inde se commovet :
me per literas Græcas usque èo pro-
gressum , ut per me possim nonnihil
consequi. Quæ me magis his omnibus
pungunt , memini me tibi Patavii di-
cere: tu hæc omnia diligenter expendes;

& ubi primū per otium licebit, pēr literas, quid tibi placeat, significabis: quas tu non nisi certo homini. De discessu illius, scin' quem dico? scriptorem illum antiquitatum, nihil dum certi habeo. Iterum Vale, & me, ut facis, ama. Venetiis. 2. Calend. Octob. 1531.

E P I S T . V I I I .

J A C O B O S A D O L E T O * S.

QUOD veritus sum antea, Sadolete doctissime, si ego adolescens, neque bonis artibus exultus, neque in recta dicendi ratione satis exercitatus, ad te provecta ætate virum ac omni doctrinæ genere instructissimum, Romanæ eloquentiæ hac nostra ætate cum paucis facilè principem, literas darem: ne meum istud factum cum temeritate conjunctum videretur, id totum penitus sublatum est meumque hunc sive pudorem, sive metum vicit beneficij

* Quis fuerit Iacobus Sadoletus vanæ & inutilis esset disquisitionis; nam cui non notus Hylas. Ejus epistolæ Leonis X. nominè scriptæ, opus tunc usque sepultum, propediem edentur.

erga me tui magnitudo. Nam inveni quidem plusculum etiam audere, quam par sit, ab omnibus ferè concedi solet: non habere gratiam quibus debet, omni ætati sanè turpissimum est. Itaque vetus illa dubitatio in præsentia nihil me movet, neque tam venit in mentem vereri reprehensionem quod scribam quam quod serius id faciam. E- quidem meum silentium in tuis illis ad Bonamicum doctissimè scriptis literis mihi subaccusare visus es, in quibus locum de ^a Melphitana conditione ita con- cludis: Qui sive profectus est, sive non, meum tamen officium in illum constitit Hoc ego sic accepi, quasi dices, cum meum in re sua studium perspexerit, etiam si hanc spem aut sequi noluerit, aut cum vellet, non potuerit, est tamen cur mihi gratias agat. Hoc tu sive ita sensisti, sive cum aliud significares, ego ita interpretatus sum, jure tamen tuo à me, quem jam tibi obligaras, expec- tare potuisti: & ego, nisi nimis mag- nam modestię rationem habere volui-

^a Lazarus Bonamicus Melphitorum Principis li- berorum erudiendorum conditionem Bunello ob- tulerat.

sem, maturius fecisse debui. Cujus enim humanitatis illud est, eum, quem ne de facie quidem noveris, ob unius, aut ad summum alterius epistolæ lectiōnem tam amanter complecti liberalitate tua, tam sollicitè, tam sāpe de illius negotio scribere, facit quidem superioris vitæ tuæ consuetudo, ut minus hæc mirabilia videantur. Quod cùm in aliis multis, tum verò in Longolio ornando te cundem præstitisti. Sed in ipso Longolio incredibiles erant ingenii dotes, quæ te ad eum amandum raperent, ac tunc sibi studium deberi quasi contenderent. Ego verò quò à summis illis virtutibus absun longius, eò plus me tibi debere sentio, propterea quòd cùm nihil in me sit, quod quidem tuam benevolentiam colligere possit, sponte tua tamen ad me sublevandum omnem operam & studium contulisti. Ergo tua ista voluntate, quam in negotio Melphitano aper-
tissimè declarasti, ita me tibi devinctum esse scito, ut à multis beneficia ipsa grata mihi multò minus acciderint. Neque enim per te stetit, quò minus ampla conditione, magna spe, apud optimum principem viverem. Quid au-

tem in causa fuerit, ne quō me vocabas
profectus sim, paucis accipe. Ut pri-
mum mandato tuo ^a Lazarus Bonami-
cūs mecum egit, dixi quibus conditio-
nibus nobilissimos adolescentes docere
vellem. Illud imprimis petii, certam
sedem, & quietam constitui studiis nos-
tris; circuncursationes ^a illas, quibus
nobilissimi quique in Gallia sursum ac
deorsum perpetuò jactarentur: & istam
vitæ rationem ostendi mihi vehementer
displicere. Bonamicus, quod de omni-
bus his, quæ esset Melphitanī principis
voluntas, se certum nescire diceret, ad
te omnia diligenter perscripturum re-
pondit: fecisse puto. Dum expectamus
tuam, & Principis de rebus istis senten-
tiam, ecce tibi Vaurenſis ^c Antistes La-
zaro Bayfio ſuccellurus Venetias venit,
hortatus ut ſecum maneam. Ego qui in

^a Vide epistolam ultimam.

^b Quippe perpetuò ſursum ac deorsum cursitando
ad aliquem doctrinæ gradum pervenire non po-
terat, uti Superius querebatur in epistolā ad Io.
Caſſadum, & reverā quemadmodum, juxta Tho-
mam à Kempis, nunquam ſanctificantur qui mul-
tum peregrinantur; quidni ausim aſſerere eos in
ſcientiis adipiſcendis non multū proficere, qui
ſtudiis certam ſedem, & quietam non coſtituunt.

^c Nimirum Georgius Selva, Bayfio in legatione
apud Venetos pro Rege Galliarum ſuccellurus.

Galliam antea cogitabam, simul atque eum præsentem vidi, de cuius sanctissimis moribus, eruditione, humanitate à multis plurima prædicari audiveram, non solum ut discedere liceret non pugnavi, verum etiam quò me apud secesseretur obsecrare non destiti. Cujus mei consilii quid ego tibi scribam me fructum maximum capere? Nusquam sanctius, ita me Deus amet, nusquam suavius. In quo homine cùm cætera ad meam naturam apta sunt, tum illud percommode cadit, quod te, quem observare necesse habeo, amat facitque plurimi. Complexus ferè omnia, superest, ut illam ipsam gratiarum actionem, quæ me ad scribendum impulit, in epistolam includam. Sed stultissimum fuerit, velle me juvenem infantissimum tibi verbis satisfacere, cùm tu homo eloquentissimus re ipsa rationibus meis consulere conatus sis. Observantia summa, & beneficij accepti memoria opus est: quas quidem nisi in me esse perspexeris, indignum omnino, in quem conferatur aliquid beneficij, judicato. Bene vale.

EPIST. IX.

ÆMILIO PERROTTOS

Quo in statu essent res tuæ cognoscere sane laborabam, quò etiam mihi gratioreſ fuerunt literæ tuæ. Probatur mihi sanè studiorum tuorum ratio. Unum vide, ne dum nimium festinas, offendas uspiam, aut etiam te præcipitem des. Nolo damnare institutum hoc tuum, quòd in istum angulum te abdideris: jam enim hoc præteriit, & in integro non est. Hoc solùm peto, ne tantus studiorum ardor animum occupe tuum, ut interim valetudinem non cures, qua scilicet amissa, amplissimi fructus industriæ, ingeniique tui in discrimen venient. Quòd Marosticæ potius, quam Bassani ^atabernaculum tuum constituiſti, quod ad solitudinem quidem pertinet, quam tu magnopere optare videbaris, non ita multum interest. De rebus meis quid ego tibi scribam? nuper patavii non satis rectè habebam: nunc suūm planè restitutus. Quæcauſa fue-

^a Bassanum, vulgo Bassano, urbs Italæ, intrà limites Tarvisianos, & patria Lazari Bonamici, de quo in epistola proximè Superiori.

rit profectionis, puto te ex Jacobi nostri literis intellexisse. In studiis eandem ego viam sequor, quam antea : Orator tamen quotidie de pristina diligentia non nihil remittit, erga me tamen idem est qui fuit. Quod si cum vel tantillum immutatum sensero, næ ego statim ad Georgium. De libris germanicis, allatus est totus Aristophanes Græcus. Authenticæ Græcæ, quas ad te mitto, emptæ sunt 7. lib. Venet. Lugduni Lexicon Hebraicum valde copiosum excusum est. De simulatione quod ego scripsoram, ad Simonem non pertinebat, quem virum bonum, & amicum minimè fucatum cognovi, aut si aliter est, mihi planè imposuit. Quod ad res Mediolanenses pertinet, certum nescimus, quo authore Marchio Mustrensis hæc misceat : omnia sunt densissimis simulationum integumentis involuta. Rex quidem præ se fert, se nihil minus velle : tu de ejus voluntate conjecturam facito. Res Gallicæ bono sane loco sunt, ^a &, uti speramus, erunt meliore. Bene vale. Venetiis.

^a Quo sensu id dictum fuerit, aperit Bunellus Epist. 24.

EPIST. X.

BENEDICTO RAMBERTO
Patricio Veneto S.

NO L I queri Ramberti suavissime,
si serius , quām fortasse expecta-
bas, ad te scribo , ne ego quod contrā
quām mihi isthinc discedenti receperas,
adhuc Patavium non veneris , tecum
expostulem. Quòd si occupationes in
causa fuisse dices, cur mihi in hac urbe
hospiti , cui bibliotheca explicanda , &
nova quædam studiorum ratio primis
hisce diebus constituenda fuit , non li-
ceat istud ipsum reponere. Adde etiam,
quòd nihil magnopere dignum scrip-
tione habebam , & ne nunc quidem
aliquid in mentem venit , nisi te multis
de causis plurimi fieri. Quid autem de
te sentiam , ^a Manutius noster optimè

^a Extat lepidissima epistola Manutii Benedicto
Ramberto rusticanti , & ægrotanti in quā suadet ut
turbam medicorum malam in crucem jubeat abire,
quodcum pharmacis non solùm diversis , sed etiam
contrariis , integrum jam annum lacerarent , dum
latentem in obscuro veritatem ipsius pericolo qua-
rerent.

testis est: quæ ideo impræsentia omitto, ne ego impudenter ad te scripsisse videar, quæ sine summo pudore, qua es modestia, legere non possis. Unum abs te peto, ex quo etiam me tui cupidissimum facile cognosces, ut si tibi ingenium, morēsque probavi meos, si earum artium, quas tu jam inde à pueritia constantissimè coluisti, nonnullum studium in me esse vides: si & in posterum non solum amari, sed etiam observari intelliges, peto inquam abs te, ut Bunellum in aliquo amicorum tuorum numero esse patiare. Hoc si mihi das, ut nullum præterea quæstum bonarum artium faciam, nunquam me in Italiā venisse, & Venetiis vixisse pœnitabit. Bene vale.

E P I S T. XI.

ÆMILIO PERROTTO S.

CUM mihi redditæ fuissent priores literæ tuæ inter prandendum, à prandio statim vix dum perlectis, libros de Oratore dedi Bellonio, qui se nocte sequenti Patavium trajeceturum confir-

maret : quos ex postremis intelligo tibi non esse redditos , téque id iniquo animo ferre. Ego verò etiam aliquantò molestius tuli : ab eo die Bellonium non vidi. Noviodunensis Episcopus commutavit hospitium, non possum convenire hominem , & cùm convenero , ne irasci quidem licebit. Si perferre non potuit , aut reddere mihi debuit, aut curare , ut liber ad te preferretur. Allati sunt libri è Germania , inter quos Codex : eum ad te misisse , sed pertimui pretium : vñnit enim X. Marcellis Venetis. Excusus est recens libellus Bayfii Oratoris nostri de ^a re Vestiaria , cui adjunctus est Tractatus de Vasculis , cuius lectio ita me delectavit , ut ea causa tardius tuis literis responderim. Si quæris quanti? duobus Marcellis : scribe an eos mitti tibi velis. Cura, si placet ,ut reddantur literæ , quas unà cum tuis accipies , Paulo , quæ quidem cum mihi à Pandolpho datæ sunt , aliter obsignatæ non erant. Chandonio dices sic factum de fasciculo literarum , uti jusserat : me etiam cum Oratore locutum de eo , quod me tacente satis in-

^a Vide notata ad Epistolam 1.

telligis

telligis. Ille se nihil magis velle, queri etiam, quod nescisset, cum alter tantoperè de discessu urgeret. Nunc nescio quo pacto is retardatus est, vel quod sensit, quod inter nos agebamus, vel quod aliquid aliud minimè successit. Si tamen discedet, ita fiet ut volumus. Benè vale. 6. Non. Mart.

ÆMILIO PERROTTO S.

EPIST. XII.

RE D D I T æ mihi fuerunt tuæ literæ, unæ cum his quæ Jacobo & Alixantio descriptæ erant. De Oeconomio quod Romam iverit, non magis tu miraris, quam ego. Orator quidem ubi rescivit, iniquo sanè animo tulit: ille enim ad Lauretanæ virginis, quod voto obstrictus esset, se velle proficisci dixerat. Tulit autem casus, ut interim dum abesset Orator, ejus opera magis egeret, quam unquam antea. De facto ejus, quis sit meus sensus, puto te intelligere. Nihil apertius scribo, vides inter quos mihi vivendum sit. Hæc est sanè mea ratio, ut quantum quidem in

C

me est , offendam neminem. Verùm hæc & alia , si quæ erunt , præsenti sermoni reservemus. De Georgio quæ scribis , omnia sanè mihi jucundissima fuerunt. De animo ejus erga me nunquam mihi dubium fuit , sempérque in eo si mihi discedendum esset , tutissimum perfugium posui , quam spem mihi adhuc præcisam non esse gaudeo. Quamquàm enim , quomodo nunc est , bono loco sunt omnia , & ego summà erga me Oratoris benignitate fruor , tamen quis scit an perpetua hæc erunt ? & tamen ego priusquam ex Italia discedo , videre Romam cogito. Quod utinam aut exiguo sumptu , aut etiam nullo facere possim : in qua re si quis hoc tempore juvare me potest , Georgius noster impròmis potest , à quo epistolam de rebus omnibus mihi afferas velim : sed quæ pondus habeat : quò enim longior , eò gratior futura est : & tu pro vectura , si benè te novi , nihil exiges : ego quidem certè nihil dabo. Sed heus tu , quis fratri meo me cum Oratore vivere nuntiavit ? ego sanè de ea re nihil ad eum memini scribere. Eum autem & omnes amicos de induſ-

tria cælabam , id metuens quod evenisse jam video. Omnipotens literas permutationis mihi mitti à fratre volo : si erit opus , utar : si non erit opus , nihil nocebunt. Episcopum Noviodunensem mihi saluta , si tamen meam illi salutem non ingratam fore existimas. Ad eum non scripsi : primùm enim satis temporis non habebam , cùm has festinanter , ut vides , scripserim : deinde res prorsus me deficiebat , ne , ad te quidem quid scriberem habuissem , nisi ex tuis literis argumentum mihi natum esset. Hanc epistolam cum Georgio nostro communicabis , cui & Jacobo Bernoio plurimam salutem. Benè vale. Venetiis.

EPIST. XIII.

ÆMILIO PERROTTO S.

ET si nihil habebam , quod ad te scriberem , tamen quod literas ad Noviodunensem meas ei per te reddi vellem , facere non potui , quin hanc schedulam quoque ad te exararem. Ad Episcopum Noviodunensem scribo :

C ij

discedens enim à me petierat , alioqui nunquam hoc mihi sumpsisse. Hortor ut literas sua benignitate complectatur , & ex ea re potissimum laudem petat : ac quod Episcopi nostri in canes & equos alendos insumunt , ipse eosdem sumptus in viris bonis juvandis & ornandis faciat. Tu , si videbitur , epistolam priusquam reddas , leges , ut possis , si opus erit , meam cohortationem sermone tuo subsequi. Cupio sanè , quod commodo tuo fiat , te adesse cum leget ; ut non solum orationem , sed etiam vultum legentis mihi per literas exprimere possis. Non est satis æquus Ciceronianis , ^a fures exclamat , ubi quid à Cicerone sumptum videt. Scripsi tamen , quoniam ita se velle

^a Videndi hac de re Dialogi Ioannis Sambuci , Tirnarensis Pannonii , de imitatione Ciceronianā. Cæterum nec satis æquus Longolio fuit Paulus Manutius , ipsemet Ciceronianus , quod in Longolio verborum circuitus , ut ait , sàpè à Cicerone totus sit ; attamen illud scribendi genus Andræ Naverio vicissim vitio vertit idem Longolius , quod totidem verbis ex Cicerone sibi tam multa impunè sumeret. Certè Clodius accusat Mæchos , Cartilna Cethegos ; si enim Æsopi graculus Longolio objiciendus sit ; multa à Cicerone mutuari Manutium , & quasi centones quosdam ex ipsius verbis Orationi sus consuēre , fatendum est.

ostenderat : quod meum obsequium ,
si ei gratum non erit , non committam ,
ut sim iterum molestus. Bene vale.
Vene*iis.* 4. Non. Januarias.

E P I S T. X I V.

PETRO FABRO SUPPLICUM
libellorum magistro , * S.

ET si ei qui malevolorum & im-
proborum injuriis oppressus ja-
ceat , à quovis sublevari gratissimum
est : tamen nescio quo pacto jucundior
est salus , quæ ab eo proficiscitur , cui
te charissimum semper fuisse judicaris.
Nam cùm res ipsa per se magnam lati-

* Petri Fabri Sanjoriani , quem virtus , probi-
tas , & summa eruditio , ad Senatus Tolosani Prin-
cipatum evexerant , elogium vide apud Thuanum ,
& Sanmarianum. Ejus extant varia opera orbi
erudito notissima ; & si diutiùs in vivis fuisset , ob-
servationes , quas in Demosthenem , & Diodorum
Siculum meditabatur , virorum in literis huma-
nioribus Doctiorum desideria explere possent ; sed
morte repentinâ pro Tribunal iudicato Augustissi-
mo in consensu interiit , re nondum ad umbili-
cum perductâ , & magno reipublicæ literariæ dam-
no. In eo populus parentem , literati Mæcenatem ,
viri probi patronum , & Iustitia juris publici vin-
dicem , amisere ; si tamen amissum dicam , cujus
fama perpetuò vivet cùm æternitate conjuncta.

C iiij

tiam affert : tum opinio illa non frustrà
in hoc viro spem posuisse , non in erro-
re versatum esse , mirificè delectat.
Quòd ego propterea ad te scribo , ut
scias , me duplici voluptate affectum
esse , simulatque intellexi , te meæ cau-
sæ patrocinium apud Regem suscipere
decrevisse. Quanquam enim suspicione
criminis in me falsò collati , liberatum
restitui , cuiuscumque tandem gratia &
authoritate id fiat , non poterit non ac-
cidere gratissimum : à nemine tamen
facilius , quàm à te ipso me hoc ge-
nere beneficii patiar obligari. Alius
fortasse ab uno omnia expectanda ne-
get : ego contrà , cùm plurimum tibi
debeam , cupio immensa illa merita
erga me tua , maximi hujus muneris
accessione cumulari Tibi autem pro
me laboranti ob eam rem facillima
erunt omnia , quòd meam causam po-
tuisti melius nosse , quàm ego , qui
prius me condemnatum , quàm meum
nomen delatum , me prius exulem ,
quàm reum esse cognovi. Quòd si de
me aliquid dicendum erit , poteris non
quæ ab aliis acceperis , sed quæ tu aut
in omni vitæ meæ actione videris , aut

in collocutionibus audiveris , sine ulla dubitatione confirmare. Ego iis , quibus cum vixi , ut literarum sacrarum lectione animum alerent , recte pieque viverent , semper author fui. Qui ita vitam instituerunt , si à plebe indocta seditionorum nominibus inquinantur , nihil me movet rei tam sanctæ sacrilega appellatio. Ego sanè hujus ordinis vel princeps haberi volo. Sed omittamus hæc , quæ in præsentia subtilius disputare nihil attinet : illud potius agamus. Obscro , ut quam voluntatem mei tuendi ostendis , eam conserves , aut etiam , si potes , augeas. Quod si de constantia tua dubitarem , licet in Gallia tutò mihi esse non liccat , præsens , ut in sententia permaneres , humiliter & demissè peterem. Sed cum mihi sponte tua dederis maximam spem , innocentiaeque meæ præsidium in te positum esse volueris , à te ipso deficere jam tibi integrum non est. Ego longissimè abssum , res me absente minore periculo transigetur. Præsens enim quid aliud in memoriam redigere possem? at hoc ipsum per alium comodius administrari poterit. Itaque tu

tissimum in omnem partem illud consilium visum est , non prius Italia excedere , quam Vautensis Antistes , patronus meus ex hac Legatione in Galliam revocetur . Erit mihi omnino ad omnes res aptius , & ad morum commendationem honestius , ^a in viri amplissimi & optimi comitatu redire . Cave enim putas probitate , eruditione , rerum administratione , prudentia , comitate , humanitate , cave inquam putas ullum esse hac nostra aetate , quem omni virtutum laude huic praeferre queas . Addo etiam , quod tamen sine ullius contumelia dictum velim , qui cum eo jure conferri possint , esse per paucos , id quod tu ipse aliquando verum esse experiundo cognoscas . Quare , ut paulo ante exposui , magnum adjuvamentum afferet rebus nostris talis viri , qualis tibi depinxi , me comitem esse . Ergo una cum eo in Galliam . Interea studiorum meorum , quibus mihi nihil charius est , cursum tenebo , conaborque ad aliquem gradum eruditionis

^a Immò ad defendam Calvinismi suspicionem ; quo nomine eum in crimen vocaverant , de quo forsitan in hac Epistola Petro Fabro conqueritur .

pervenire , ne tu obscurum planè , & nullius pretii civem patriæ reddidisse videare. Venetiis.

EPIST. XV.

ÆMILIO PERROTTO S.

DE petitione tua Lodovicus tuus cætera tibi exponet , hoc ex me cognosce. Nuper cùm Patavium ab Oratore missus essem , cùm id diligenter cuius causa veneram curasssem , placuit experiri an possem res sanè turbulentas componere. Sed cùm mihi Venetias primo quoque tempore redeundum esset , re tentata quideam , sed non perfecta discessi. Nunc audio non solum res pacatas non esse , quod optabam : sed quod minimè omnium vellem , & quod ne accideret , semper sum veritus , Jacobum nostrum superioribus diebus à nescio quo oppressum , duobus vulneribus acceptis vix evasisse. Distrumpor me hercule nostrorum animos ita exarsisse , ut de re levissima usque ad yerbera & cædem sibi decertandum pu-

arint. Hic ego quid tibi consilii dem, non video. Quod si potes sine illorum, qui tibi student, offensione: malim te penitus hanc petitionem abjicere, quam ut rem in dimicationem periculi plenam deduci patiare. Quanquam enim tu neminem tua causa ad arma venire vis, tamen vereor ne tu omnium malorum author fuisse videare. Hoc meum consilium sat scio non probaturos eos, quorum animi hac recenti injuria maximè sunt exulcerati, sed tu voluntatis amicorum ita demum rationem habere debes, si sine illorum periculo res obtineri potest. Quis enim jure non laudet Ciceronis consilium, qui maluit in exilium abire, quam suorum civium corpora telis improborum objicere? prius tamen quam ad hæc ultima descendas, præsens, si quidem te tutò esse Patavii putabis, aut si id non potes, per literas absens Limantii animum quavis ratione tentes velim: oportet enim candidatum ambire,prehensare, supplicem esse. Ad extremum, si precibus nihil proficies, omnia potius deponas censeo, quam ullius salutem in discrimen adduci patiare. De

libris tuis quid actum sit , ex literis
Baptistæ Bibliopolæ intelliges , qui
huic negotio præfuit. Bene vale.

EPIST. XVI.

ÆMILIO PERROTTO S.

DE Demosthene quoniam te ve-
hementer desiderare cùm ex su-
perioribus literis , tum ex proximis
perspexi , petii à Legato , & facile im-
petravi : commemoravi tua erga me
summa merita , veteremque inter nos
necessitudinem , quam ego lædere , &
non mediocriter violare viderer , si tu ,
qui pro tuis in me officiis omnia à me
expectare debeas non acciperes : quod
ego sine meo incommodo , si tamen
ut ipse vellet adduceretur , præstare
possem. Permisit igitur , ac lubens ,
neque si verum scire vis , antea de ejus
humanitate & facilitate diffidebam , sed
prohibebar pudore , aut etiam metu ,
ne peterem. Tuis verò literis perleñis ,
ubi te non modò cupere , verum etiam
sperare cognovi , dimisi pudorem , &

fregi me ipsum , rogavi gratum me esse
pateretur : respondit humanissimè , se-
ne de suis quidem libris quos habet ,
negaturum fuisse . Itaque habes quater-
niones Demosthenis quos petebas .
De Dictionario , confeci , emptumque
est octo libris : compactum nullum
erat , & ne h̄c ligandum curarem , Bi-
bliopola ipse author mihi fuit , & quod
expectandum diutiū fuisse , & quod
non minoris quam Patavii , & quod
improbos hujusmodi homines ratio-
ne in quaestus , non operis habere soli-
tos , confirmaret . De Lazaro , si me
amas , ut cœpisti , omnia etiam minima
perscribe . Nam quanquam ego non
indiligerter Ciceronem legere nunc
mihi videor , magnum tamen adjumen-
tum adfert audire ea , quæ vocet in
dubium vir in ipsis studiis multum ver-
satus . Quod ostendis te non autem scrip-
tum , quam argumentum naclus eris ,
mihi quidem placet , sed tum bene
longam epistolam mittito : sic enim ne-
que tam sœpè tua studia interpellabis ,
& me tamen omnium rerum certio-
rem facies . Pecunia ad me fideliter
perlata est : sex sol . minus expensum ,

quām acceptum : hos cūm voles , re-
petes. Jacobus mihi diutiūs debere
noluit , eum mihi saluta , rogáque , ut
si quando videbitur , cum meo hospite
de pecunia mihi debita agat. Evidem
quicquid extorquere poterit , lucro
deputabo. * Arnoldi nostri literis
non respondeo : nihil enim necesse est.
De causa nostra curabo diligenter : cui
quidem , quod perspicere potui , Le-
gatus favet ex animo. Bene vale.
5. Calend. Decemb.

* Arnoldi Ferrerii.

EPIST. XVI.

ÆMILIO PERROTTO S.

QUANQ; AM pervetus est nostra
conjunctio , magnisque tuis erga
me officiis & meritis , meaque in te ob-
servantia adeò corroborata , ut levis ali-
qua suspicio , quæ vulgares amicitias
dissolvere potest , in nostram sanè cadere
non possit : tamen interdum vereri co-
gor , ne tu de me secus existimes , quām
vellem. Id nunc propterea scribo ,

quòd cum híc esset bibliopola Realtinus , sic loquebatur , quasi paucis diebus post Codicem & Authenticas esset habiturus : quod si factum esset , quoniam tu eos libros te velle mihi ostenderas , si per me stetisset , quo minus eos jam haberes , euidem salvum jus amicitiae nostrae non putarem . Sed scito libros illos in tabernam adhuc allatos non esse , ut potius vanitatem horum hominum accusare , quàm officium in hac re meum desiderare possis . Nullum ferè diem intermitto , quin hominem conveniam : is præteriti temporis accusationes nescio quas affert . Cùm autem rogo , num propediem , sic respondet , ut cùm tu aderas . Ubi primùm allati erunt , mea fides & diligentia tibi non deerit . De lineis risi me hercule , sed facile patior te in ea re velle Ludovici tui fidem liberare : euidem hujus rei juditium facere non poteram , sed quicquid habui industriae , totum id consumpsi , quô tibi satisfacerem . Quòd si pluris empti sunt , quàm par est , aut tibi minus dignæ tuæ liberalitate videntur , ego fidem meam & diligentiam tibi præstiti : sed tu

homini harum rerum penitus rudi
negotium dare minimè debuisti. Ita-
que te ipsum accusa : aureum qui-
dem totum in eam rem impendi , at
tu , quin ne pluris emerem , præscrip-
feras ? noli commoveri , mercatus sum
ad eam summam , quam volebas ,
xxx. solidis nostratibus , aut etiam
minoris : reliquos enim habeo qua-
tuor Marcellos argenteos : cupio tibi
hanc emptionem non solum ratam ,
sed etiam gratam esse. Lazarum non
velle sua mysteria proferre , fero ut de-
beo : neque verò miror , quòd inter
nos liceat dicere , Italos sui similes
esse. Quoniam igitur de ratione sua
nos ille celat , artificium aliquod ex-
cogitabimus , cùm diligenti lectione ,
tum exercitatione quotidiana : fortasse
nonnihil consequemur. Speramus
quidem certè. Quòd autem non so-
lùm Ciceronem , sed alios quoque
ex latinis attingendos putat , non video
quid Budæo succenseat. De Cervoto
quæ in extremo literarum adscripti ,
mihi sanè jucundissima fuerunt. Bene
enim illi cupio : tu quod opus præcla-
re , Deo adjuvante , insituisti , vide

ne inchoatum relinquas. Urge igitur occasionem, hortare hominem ad meliorum literarum lectionem: cuius quidem rei perficiendæ tu nonnullam spem ostendis. Scripseram ad te, ^a Reynaldum nihil meis literis respondisse: quod si fecit, ne mea studia interpellaret, gratum est. Si verò satisfactionem meam non accepit, atque adeò offensus est, molestè fero. Tu si mihi eum iratum esse cognosces, ecquid mihi succenseat, prescribas velim: si nihil hujusmodi erit, eum meis verbis salutato. De verbo Consulo, tu nescio quid mihi dixisti, quod ego aliter apud Cicernem non uno in loco legisse mihi videor: tu si quid ^b Lazarus super hac voce præceperit, mihi cùm scribes, aperiens exposueris: ego locos in quibus aliter scriptum est, ad te mittam. Quid adhuc? quid? Pecuniam mihi ab hospite debitam, equidem in perditis habeo, nisi industria tua, & Jacobi mei procuratoris recuperetur. Bene vale. Vènetiis. 2. Calend. Januar.

^a Reynaldum Chandonium.

^b Scilicet Lazarus Bonamicus linguae Latinae cal-
lentissimus.

EPIST. XVIII.

ANTONIO A PAULO
Sanatori Tholosano. *

MIRARIS, mi Paule, unà cum amantissimo fratre meo, nihil me ad vestras literas rescribere. Ego antea quidem utrique vestrū succen-sebam, quòd de meis rebus à vobis certior non fierem. Nunc verò literis tuis perlectis, nuntiorum aut negligen-tiam aut improbitatem accusare cœpi, quorum perfidia, literæ vestræ aut pe-rierunt, aut interceptæ sunt, prius quam in manus meas pervenirent. Quas ad me non esse perlatas, propterea mihi gravius ferendum est quòd non so-lùm incunda scitu, sed etiam perneci-faria complectabantur. Nunc & ego in-

* Antonius à Paulo è familiâ nobilissimâ ortum ducebat; ex eâ oriundi & in Senatu Tolosano presides tres clarissimi, & Magnus Equitum Rhodio-rum Magister; nè quām plures alios memorem in utrāque militiâ illustres viros. Antonio familiaris erat Bunellus, & quia conterraneus, & quoniam Venetiis amicitiae vinculo constricti fuérant. Porrò an Antonius à Paulo idem sit ac Stephanus ille à Paulo in Senatorum numerum anno 1524. cooptatus, quasi erratum sit in nomine, ignoro.

summa rerum omnium ignoratione ver-
for, & quid ad illa quæ in literis erant,
vobis respondeam, prorsus nihil habeo.
De me ipso si aliquid scire vis, ego à
tuo discessu optima valetudine, Dei
Opt. Max. beneficio semper usus sum:
studiorum rationem, quam, cùm tu
híc eras, institueram, eandem sequor:
literis Græcis & Latinis quantum
possum operam do: non quidem ut ad
honores mihi viam muniam, verùm ut
aliquando in solitudine aliqua, procul
ab hominum improbitate, cum meis
literis quasi colloquar, & eam vitæ
tranquilitatem, quam semper adama-
ví, tandem aliquando mihi parare, &
partam tueri possim: quæ à magna par-
te hominum hac nostra ætate fiunt,
cùm mihi vehementer improbentur,
emendare non valeam, reprehendere
non sit tutum, eripere me ex hac scle-
ratorum colluvie, & cum paucis bonis
viris aliquò secedere decrevi. Ad eam
rem quam paro, & literis & libris opus
est, in quibus, ut ^a in hominibus, &

^a Sic lusit etiam Ovvenus, Poëta amoenissimus,
hoc epigrammate;
Hic liber est mundus, homines sunt; Hoscine, versus
Invenies paucos híc, ut in orbe, bonos.

si nonnulli ; mali sunt, libros tamen malos legere nemo coget : ab improborum autem hominum fæce , nisi me substraxero , multa ab eis dici quæ nolim audiam, multa quotidie invitus fieri videbo. Sed hæc melius tum constitueruntur , cùm in Galliam unà cum Antistite me recepero : quod quidem quando futurum sit , confirmare tibi non possum : hoc certò scio , redeat cùm volet , nunquam tam citò , quām ego vellem , id futurum est. Hujus cœli & soli tædium , quaquam ad hanc molestiam levandam plurimum valet , quòd apud eum vivo , cujus mores , ut sanctissimi , ita suavissimi sunt : in cujus vita , cum nulla tenuis quidem suspicio turpitudinis hæreat , nulla etiam in dictis aut factis asperitas , omitto rerum gerendarum prudentiam , quæ maxima in hoc viro est , supràque ætatem ac omnium fidem literæ ^a Græcæ in eo plurimæ ,

^a Hinc est quod Vaurenensis Antistitis bibliotheca multis manuscriptis Grecis , magnâ diligentia , nec modico sumptu , quæfisis , instructa erat. Ex ea etiam prodiit libellus græcus Cassii , Iatrosophista Parisiis , & Coloniæ excussus , hoc titulo , Ἰατρικὰ ἀπορίαι καὶ προβλήματα περὶ ζῷων καὶ θεραπεῶν , quæstiones scilicet Medicæ , & problemata de animalibus & quadrupedibus. Copiam etiam fe-

orationis facultas summa. Quid quæris?
 hunc finxisse Deus Opt. Max. hoc
 consilio videtur, quo haberent nostri
 Antistites, quem imitarentur, cujus si-
 miles esse vellent. Videbor tibi fortasse,
 & aliis nonnullis, in hujus viri lauda-
 tione nimium profusus, ego mihi ni-
 mium parcus. Sed redeo ad id, quod
 cœperam. Levant hæc ægritudinem, si-
 mul & Danesii viri optimi & doctissimi
 jucunda consuetudo: nulla tamen reme-
 dia tam magna sunt, ut mihi Galliæ
 nostræ desiderium penitus adimere
 queant. Quod ut paulò facilius feram,
 interdum per literas me de rerum mea-
 rum & vestrum statu facite certiorem:
 neque id rarius, propterea quod non
 sæpius ad vos meæ literæ afferuntur.
 Vos enim quæ me scire magnopere mea
 intersit, scribere potestis: ego quod yo-
 bis jucundum cognitu sit, prorsus ni-
 hil habeo: impediunt præterea variæ

cerat Georgius Selva libri singularis Basiliæ mag-
 ni, *mp̄i Grammaticus Grammaticæ*, de exercita-
 tione grammatica, quem Antonius Lullus publici
 juris fecit. At, ut dicam quod sentio, opus
 esse videtur Manüelis Cretensis; Basiliæ certè
 non est. Habetur in Vaticana, sed multò locu-
 pletior, quippe cum primam exercitationem
 quatuor, aut quinque aliæ ejusmodi subsequantur.

occupationes, quibus distineor, ne bellam aliquam epistolam, quem admodum vellem, ad amicos perpolire possim. Negligenter scriberet minimè decet me, nisi tibi fortasse, cum quo, propter amicitiae vetustatem, vitia mea communicare non dubitem. Itaque vides quām dissoluta hæc sint, quæ tu potius cum fratre meo locutum esse, quām literis consignasse judicabis, & valebis. Venetiis.

EPIST. XIX.

ÆMILIO PERROTTO S.

QUÆ mihi mandaras per literas; ea omnia diligenter curavi. Locutus sum cum Panchato: pecuniam dabit, cum voles, sed tibi ipsi. Cùm rogarem literarum aliquid ut ad te daret, respondit nihil opus esse: & tamen se de hac re scripturum ad filium, quem Patavii habet. Literas tuas illi commisi, sed jussit inscribi, ut pro uestura solverent ii, quibus redderentur. Hoc præter expectationem meam sanè evenit. Quod cùm vultu ostenderem mihi pa-

rum placere, dixit hoc in consuetudine positum esse. De Lazaro quod scribis, non satis intelligo quale sit: an exemplum, quo uteris, eam habeat vim, ut in hoc dumtaxat genere loquendi, cum quid aliquis senserit dicimus, non liceat sic loqui, Arbitror Aristotelem ita sensisse: an vero ne si quidem, Arbitror te hoc scire, quod Cicero libenter usurpat. Cum habebis otium, me de hoc & aliis multis facies certiorem. De Codice & Auctentis erit mihi cura. Scribo ad Raynaldum: nam binas ad me scripsit, & queritur per posteriores, responsum non esse: tu illi meas redde simul, & labora quod meam satisfactionem accipiat. Non possum, ut nunc quidem res habet, sine studiorum meorum detrimento tam saepe scribere. Bene vale. Idib. Decemb. ante lucem.

EPIST. XX.

ÆMILIO PERROTTO S.

QUONIAM tu mihi omnem penè aditum mei purgandi præclusisti, utar eo genere satisfactionis, quam te accepturum ostendis, tibique ad omnia,

quæ petis rescribam diligenter. Hoc multò satius erit, quām in pigritia mea defendenda paginam implere. De p-
fectione Romana multò incertior sum
quām antea: nam si è re mea non est,
ut tu quidem verè existimas, Romæ
diutius esse, itionis & reditonis sump-
tus sustinere vix potero. Nostri faculta-
tes meas: præterea autem Orator,
quamquam integrum relinquit mihi,
tamen auctor est, ut in aliud tempus
peregrinationem hanc diceret: hæc cu-
piditatem meam minuere poterant.
Nunc veluti cumulus accedit maximi
belli metus, quod à Rege Turcarum il-
latum iri Italiæ sub veris intium pleri-
que non dubitant: atque adeò hac fama
impulsus Rom. Pontifex, Anconiæ
portum quanta potest cum festinatione
muniendum curat: quæ res facit, ut ne
si velim quidem, Romam proficisci
possim. Vera fortasse non erunt, quæ
rumore minimè dubio ad nos afferun-
tur. Sed malo nimium timidus, quām
temerarius non sine magno meo malo
videri. Si quæris meam conjecturam
de hujusmodi rebus, paucis accipe.
Cùm inter Imperatorem atque Regem

minimè conveniat, sitque hæc non tam pax, quam simulatio quædam pacis, Italia autem intestinis seditionibus laboret, adeò ut plæriique tacitis votis Turcarum in Italiam adventum expectent, Florentinorum etiam nonnulli ad eum transfugisse dicantur, facile adducor, ut credam, eum ubi primùm per anni tempus licebit, copias in Italiam trajec- turum. Primùm, quis navigationem ejus impedit? Veneti? ii enim maritimis copiis imprimis valent: at illi arctissimis fœderibus cum Turca sunt colligati. Rex? at ille se ejusdem Italia dolet, & poten- tiam Imperatoris à quovis minui faci- lè patietur. Nam quòd eos in collo-

^a Etiam de causâ Imperator non minusfalso, quam invidios è ut Principum Christianorum odiū in Franciscum I. conflaret, olim dissemi- naverat hunc non solum è numero illorum esse, qui tacitis votis Turcarum in Italiam adventum ex- pectabant sed; & Solimanum evocasse, immò per literas & Nuntios quinquaginta militum millia ob- tulisse, quò Viennam cum si exercitu obderet. Quo- niam autem nugatoria quādam malevolentia à Cesa- re vocatus fuerat in ejusmodi suspicionem criminis, & reverà exitus fidem fecit Galliarum Regem fuisse purum planè atque innocetum, ut ipse gloriatur in Epistola ad universos Imperii Romani Ordines, de sibi oblatis per Turcarum Regem pacis condi- tionibus; quid ni Carolo objiciatur, ardenter odio, atque in Franciscum plus quam hostili ani-

quium

quiū venisse audisti, falsum est: fuit quidem, cū ego id fieri posse non desperarem: nunc, quantum video, spes ejus rei omnis præcisa est. Habes de Turca, & de nostrorum Principum congressu: nunc audi de rebus Gallicis. Unus de Quæstoribus Regis, cognomento Sapinus, ablatis secum L. millibus scutorum, in Flandriam se recepit: quare permotus Rex, totum illum Quæstorum ordinem, ut ad nullam rem æquè atque ad furta exercenda idoneum penè sustulit: hoc quidem præclarè, illud etiam prudenter, quòd civitates hostiū agris finitimas obit, fossa muróque diligenter muniri imperat. Omnino defunctam periculis spero esse nostram Galliam. Habes de rebus nostris, quæ maximè sunt egregia: neque enim minutissima quæque succurrunt. Illud penè præterieram, Helvetiorum sedi-

mo, publicè testari ausum fuisse, sua omnia præda Turcicæ permisurum, potius quam à quovis famæ regiæ studio, ut bello in eum abstineret; quod ipsum sanè nihil aliud erat, quam Solimanum ad paratam & indefensam prædam invitare; ut querebatur Franciscus secundâ ad Principes & alios Imperii Ordines, anno 1537. Vormaciæ Conventum habentes, Epistolâ, quā quædam super Solimani expeditione eis significabat.

tiones Romani Pontificis artificio excitatæ , Regis nostri consilio sedatæ sunt. De studiis tuis quæ scripsisti , ea sunt gratissima omnia , facileque mihi persuades , cùm te de antiqua illa tua diligentia nihil detraxisse , tūm non multa Jurisconsultis nostris penitus incognita , ex obscurissimis tenebris , quibus usque adhuc tecta jacuerunt , in clarissimam lucem eruisse. Quòd si ita in hæc studia incumbes , ut interim tamen rationem valetudinis habcas , non vinces tu quidem expectationem meam : à te enim omnia summa expecto , verum & institutum facile perpolies , & incredibilem gloriam ex ejusmodi re consequere. Haec tenus ad tuas literas : nunc de me paucis accipe. Ego bona imprimis valetudine fruor , do operam Græcis & latinis literis quantam possum : percurti duodecim ferè libros Homeri : deliberatum est apud me , totum perlegere , nisi quid cursum meum remorabitur. Habeo nunc Thucydidem in manibus , intermissa lectio Demosthenis. Hebraicè & quotidie ferè aliquod lego , ut si

et Sub Lazaro Bayfio , & præceptorę Aloysio Gri-

nihil aliud, hoc saltem consequar, ut
linguae asperitatem minus reformidem.
Bene vale. Cùm complicare vellem
hasce literas, ecce tibi Franciscus, unà
cum tuis alteris literis. O te diligentem.
Si quid igitur erit in his prætermisſum,
illud proximis complectar: volo enim,
quoniam tu cò me vocas, intermissam
scribendi consuetudinem revocare. nun-
tius autem, qui superiores tuas mihi
reddidit, cras bene mane, ut mihi con-
firmavit, discessurus est. Itaque ignos-
ces & festinationi meæ, & brevitati e-
pistolæ, si tamen tibi brevis videbitur.
Iterum vale. Venetiis pridie Nonas Ja-
nuarii M. D. XXXI.

falcone, ex epist. 25. illo autem tempore doctus
habebatur, qui noverat loqui latinè, intelligere
gracè, & legere hebraicè.

EPIST. XXI.

REYNOLDO CHANDONIO S:

C O N T E N T U S eram à te mi Reynolde, iis beneficiis quæ tu, in
Italia dum es, in me plurima & maxima contulisti: nihil amplius expec-

et Chandonii enim commendatione à Lazaro

D ij

tabam, nisi ut quem præsentem tanto-
perè adamasses, ejus quoque absentis
meminisses: cætera studiorum meorum
præsidia, tum à me, tum ab aliis ami-
cis in posterum petenda videbantur.
Tu tamen, quasi hoc unum in vita, ut
me tuearis, tibi propositum sit, quem
semel benevolentia complexus es, om-
ni officiorum genere cumulare nun-
quam desistis. A me nihil unquam
in te, ne mediocre quidem profectum
est, ut mihi accepti beneficii gratiam
nunc velle rependere videare. Quid
autem spes in posterum, planè non
video: is sum, qui amicorum potius
auxilium desiderem, quàm ipse aliis
opitulari possim. Accedit illud, quòd
si rem publicam recta ratione geri vide-
rem, & ad summos honores acquiren-
dos mihi facillima essent omnia, ascen-

Bayfio humanissimè exceptus fuérat; ità ut Bunel-
lus, quod de Fabris dixerat de Chandonio Jure
merito dicere poterat, eum fortunæ suæ fuisse archi-
tectum. Vivebat autem Venetiis apud Comitem Gal-
parum, Iulii Camilli avunculum; vir erat nobilis-
simus; linguae Græcae, Latinæ ac Italicae studiosus,
quarum cognitioni accedebat gallici sermonis peri-
tia; scripsit de fortunâ Romanorum vernacula lin-
guâ, ut patet ex Epist. 24. & 34. itaque justissimus
de causis Bunello fuit charissimus, ut publicè testa-
tur Epistola 36. Æmario Ranconeto data.

dere tamen altius non magnoperè labo-
rarem. Nunc verò cùm insignia ista
dignitatum, non virtuti, industriæque,
sed improbitati inertiaeque tribui vi-
deam, neque hujuscemodi præmia, si
mei similis esse volo, optare debeo,
neque cùm ab iis artibus, quibus hæc
parantur, pessimè instruētus sim, spe-
rare possum. Quam ego instituti mei ra-
tionem cò libentius ad te perscribo,
tum quoscias, me nihil eorum mag-
noperè admirari, ad quæ tu me amantis-
simis tuis literis vocas: tum si de me
cogitandi finem nullum facere decre-
visti, quid ego te posthac sequi velim,
intelligas. Ego animi tranquillitatem
mihi proposui, ad quam meas actiones
& cogitationes omnes referri volo: quic-
quid ab hac abducit, aversor & abo-
minor. Quô magis tibi cavendum est,
nisi idem expectabis, dum meis ratio-
nibus maximè consultum vis, me & stu-
dia mea funditus evertas. Ego me maxi-
mas ambitionis & invidiæ procellas su-
bire cogerer, in portum hunc literarum
me abdidì: tu me egredi, & turbulen-
tissima tempestate vela facere jubes:
magnum est id quidem, quod me con-

secuturum speras, sed non satis ad id
quod volo, accommodatum. Perexi-
guum est, mi Reynolde, quod mihi de-
est, quoniam in rebus humanis tantum
cuique opus est, quantum quisque cu-
pit: cui cupiditati angustos cancellos
circundeli, eisdem terminis inopiam,
quibus desiderium rerum definio. Hanc
sententiam si quis non laudat, aut si e-
tiam meum hoc consilium contemnit,
nihil me movet, modò ne mihi moles-
tus sit: ruat quô cæcæ cupiditates
eum constrictum trahunt, me in hac
philosophia Christiana liberum acqui-
escere patiatur. Volo igitur tibi soli-
citudinem minuere, non penitus adi-
mere. Non magnum est quod studia
mea postulant, quod ut aliquando con-
sequar, ne semper ex aliorum volunta-
te pendeam, tibi, qui me tuendum
suscepisti, omni ratione providendum
est. Lazarus quidem Bayfius, cuius
incredibilis eruditio cum summa ju-
cunditate conjuncta, nunquam satis
laudari potest, nuper Lugduno literas
ad me dedit, per breves quidem illas,
sed amoris valde significantes: in qui-
bus cùm alia plura, tùm illud impri-

mis liberale erat, se in emolumenterum
meorum procuratione, ne tibi quidem
concessurum. Sed ego, mi Reynolde, à
viro ornatissimo nimis multa habeo,
quorum initium à te quoque profectum
est: magnitudine officiorum obrui nolo:
tantumque abest, ut aliquid amplius
flagitem, ut partem etiam accepto-
rum, si fieri possit, cupiam reponere.
Est enim quemadmodum in re num-
inaria, sic in officiorum genere, ne mi-
nimum alicui debeas, diligenter provi-
dendum. Quām libenter, quām sua-
viter apud eum Venetiis tres annos
vixerim, praeclarè memini: quanta fa-
cilitate me penitus literarum Græca-
rum rudem tulerit, atque etiam ^a penè
docuerit, oblivisci non possum. Ad
ista, quæ maxima sunt, si aliquid ac-
cesserit, næ ego mihi nullam libertatis
partem prorsus relictam putabo. Tu
igitur elabora, & contende, ne plus
cuiquam, quām tibi uni obstrictus
sim: cui propterea libentius omnia mea
accepta refero, quòd in italia, cùm ex
magna rerum omnium difficultate labo-
rarem, tu princeps sponte tua, ad me

^a Vide epistolam. 2.

amandum & tuendum, omnes conatus tuos & impetus contulisti: à te igitur extrema cum primis contexi cupio. Sed non valde urgeo, cùm existimem ad annum unum, & item alterum hīc res meas liberalitate Vautensis Antistitis satis bellè constitutas: de cuius moribus quid ego existimem, ex meis ad Michaëlem literis facilè perspicies. Interim aut tu virtute tua altius evolaris, aut ego Dei Opt. Max. voluntate ex hac vita deceffero. Utrumvis horum satis est ad me omni molestia penitus librandum.

EPIST. XXII.

ÆMILIO PERROTTO S.

QUÒD te meis literis magis, quam tua voluntate adductum scribis, ut taceres, nihil quod sciam in literis meis est tale. Neque enim si frequenter rescribere non possum, ideo tuas ad me legere non possum. Scriptione nimis frequenti mea studia impediri nolo. An verò quod pro me dictum est, perinde atque sit à te accipis:

nimis callidum est hoc artificium. An tu quia juris consultus es , nos homines minimè malos fallere studies ? An jam forum & curiam meditaris ? sed hæc jocatus sum. Mea studia tibi esse curæ quanquam mihi dubium non erat , tamen vehementer gaudeo. Quòd si meæ istæ artes aliquem fructum unquam ferent , de quo nihil tibi valde confirmo , tu eum jure tuo tibi vendicare poteris. Evidem ex studiis tuis aliquando me uberrimos fructus percepturum confido. Tu modò qua ratione jus civile tractare instituisti , eandem ad extreum tene. Nihil te moveant voces indoctissimorum hominum , quibus institutum tuum non ita fortasse probatur. Mihi quidem quicquid ejusmodi stipibus displicet , eo nomine imprimis placet : ad quæstum festinant isti juris , vel potius litium mercatores , quicquid ad nummos rectâ non ducit , illis maximè devium videri solet. Sed tu longè alia tibi proposuisti , quæ omnibus bonis maximam & utilitatem & voluptatem afferent : tu autem vel invitus ex ea re immortalem gloriam consequere. Quanquam non te hortor , quod de

constantia tua dubitem, quem omnium
constantissimum novi, & à via, in quam
nullo authore sponte tua ingressus es,
ac nemine impellente tam latè proces-
fisti, non honestè recedere non potes.
Sed propter particulam illam litera-
rum, in qua tuorum studiorum me-
ministi, non potui, quam ego spem
de illis conceperim, tibi non signi-
ficare. Verùm hæc haçtenuis. Meas lite-
ras quam in partem accepit Novio-
dun. ^a Episcopus neque tu intelliger
potuisti, neque ego à quoquam verbum
de hac re elicere potui. Conjicio autem
non ita gratas fuisse, quod homo ple-
beius Episcopum ausus fuerim mone-
re aut hortari : neque ea me fecellit
conjectura : nam ita fore providebam,

^a Ioannes nimirūm de Hanges, aliis dictus
de Hangesdio, Præsul eruditissimus, qui, vel ip-
so Bunello teste, quod in canes & equos alendos
insumebant alii Episcopi, ipse eosdem sumptus
in viris bonis juvandis & ornandis faciebat. Vti-
nam equis, canibus, & præsertim epulationi-
bus valē dictis pari humanitate, ac beneficentia
viros bonos, pauperes & litteratos exciperent
nonnulli Episcopi? Rectius sanè & rei christia-
næ, & populo consulerent, aut saltem Anteces-
forum instar publicæ rei facerent satis; sed memi-
nerint jampridem de quercu jactitatum:
Glande aliuit veteres, sola nunc proficit umbrā.

proptereaque ad te scripseram. Equidem in hac parte viri boni functus officio mihi videor. Quam gratum illi fecerim (quod inter nos dictum sit) non magnopere laboreo. De libris faciam quod vis , sed adhuc dies breviores sunt. Novi quod scribam nihil habeo , nisi forte illud scire vis : ^a Egnatius Vergilii libros Georgicos, Epistolas familiares Ciceronis, & septimum Plinii interpretatur. Video quid petas , nihil admiratione dignum. ^b Faustus orationes Thucydidis enarrat , & Aristot-

^a Ioanes Baptista Egnatius , Venetus , inter viros doctrinâ illustres à Iacobo Augusto Thuano recensetur ; illum scriptorum suorum ~~xarivæ~~ esse voluit Longolius , ut olim Octoviano Grimoaldo scriberet ; & ut erat proiectæ etatis , Rempublicam literariam multis operibus eruditione refertis ditarerat ; qualia à Possevino & aliis exhibentur ; apud eos tamen , ut puto , altum silentium de Georgicorum Virgilii , & 7. Plinii interpretatione ; quin & interpretamenta in familiares Epistolas Ciceronis duodecennio , antequam Bunellus hanc Epistolam exararet , Mediolani excusa , parum diligentem hac in re fuisse Bunellum suspicari sinunt.

^b Victor Faustus fuit etiam Venetus , cuius extant quinque orationes apud Aldum excusæ , & tres Epistolæ satis elegantes in volumine epistolarum clarorum virorum. An autem ejus in orationes Thucydidis , & Aristophanem enarrationes typis mandatae fuerint , nondum liquet : forsitan ut crat bonarum literarum in patriâ Professor orationes illas & Aristophanem è pulpite tantum enarragat ; for-

phanem, sed ita ut facile appareat cum alieno animo hæc facere : in hoc potius prudentiam & voluntatem , quam linguæ Grecæ eruditionem desidero. Ego utrique do operam. Tu hæc compri-
mes. Bene vale. Superioribus diebus accepi à Georgio literas , in quibus cùm aliis omnibus amicis , tūm tibi imprimis plurimam salutem adscribe-
bat , nondum meas acceperat. Scribo ad Piochetum & Petram Vivam : tu , si placet , utrique meas literas reddes.
Dic salutem ex me Jacobo , omnibus , ne singulos enumicrem. Iterum vale. 4.
Calend. Februar. M. D. XXXI.

tassis etiam Egnatius , dum pari munere fungere-
tur , Virgilii libros Georgicos , Epistolas familia-
res Ciceronis , & septimum Plini tantummodo è
suggestu anno 1531. interpretabatur.

EPIST. XXXII.

ÆMILIO PERROTTO S.

Ubi primùm Bononia redii , quò
Oratoris jussu profectus eram ,
intellexi de contubernalibus meis , dum
~~abessim~~ , binas à te literas venisse. Ve-

rum quòd me illic diutius commoratum crederent, cum fasciculo Oratoris Bononiae missas esse: quo factum est, ut in præsentia quidem ad eas nihil respondeam: neque enim conjecturâ asse qui, quid in illis esset, possum: aliquid tamen scribam, ne tu ignarus rerum omnium diutius animi pendeas. Bononiæ novem dies plus minusve fui, & primis quidem diebus patribus purpuratis, qui è Gallia cum satis magno comitatu venerant, à Bayfio literas reddidi: reliquum omne tempus, tūm sursum ac deorsum cursitando, tūm cum amicis suavissimè colloquendo, consumptum est. De Pontifice & Cæ sare quid ego tibi scribam, cùm & tu utrumque de facie noris, & meam de illis sententiam pulchrè calleas? Venio igitur ad alia quædam, quæ quidem ut tu magis scire vis, ita ego libenter exponam. Scis Dionysium ^a Choronæum & Rodolphum Ponyssonum apud Car-

^a Dionisius Coronæus, qui male Corronius à nonnullis dicitur, fuit Regius Lector, unusque ex illis duodecim Regiis linguarum Professoribus, quos Guilhelmo Budæo, & Ioanne Bellayo hortantibus, in Parisensi Academia instituerat Franciscus I anno 1530. vel anno sequenti ut malunt alii.

dinalem Turnonium vivere : horum
ego consuetudine ac sermone , quandiu
Bononiæ fui , ita sum delectatus , ut
inde redire , & ab optimis viris avelli nihil
gravissimum videretur. Nullus interim
sermo de te & studiis tuis: quid queris ?
incendi homines , alioquin ad te aman-
dum sponte sua incitatos desiderio tui ,
qui cum nihil non magnum prædica-
tione tum Danesii tum aliorum ad-
ducti , sibi de te polliceantur : longè
tamen majora eos expectare jussi. Et ne
putes haec solùm inter nos obscurè acta
esse , Ponysson & Choronæus , ut mi-
hi postea narrarunt , de tuo instituto , au-
diente Card. honorificentissimè locuti
sunt , adeò ut is non solùm laudarit ,
sed te in suis habere , si quo pacto fie-
ri posset , velle dixerit. Quod illum op-
tare quamquam tibi est perhonorificum ,
tamen ab illo comitatu te quam longissi-
mè absesse , si tibi studiorum fructum
constare voles , meā quidem sententiā
fuerit utilissimum. Hæc ad te scripsi ,

Geponicorum libros Constantino Cæsari inscriptos
in linguam Latinam vertit , diuque vixit apud Car-
dinalem Turnonium , qui licet Purpuratus , non
exiguum statuebat ornamentum in amicitia litera-
torum , cuiuscumque fortis etiam vel infimæ essent .

non tam ut mihi tuam existimationem curæ esse cognosceres, de quo te non dubitare certò scio, quām ut te ad hanc sustinendam magis ac magis confirmares: & hæc quidem de privatis rebus. De publicis vix sanè quicquam scribi possit: Cæsar cum Principibus Italæ in Gallorum principem se colligere vult: Veneti novis pactionibus astrin-
gi nolunt. Imperator Turcarum Cæsa-
ri & Cæsarianis omnibus bellum in-
dixit. Purpurati isti quibus de rebus
missi sunt, certum nescimus, & qui-
dem res magnas misceri, & summæ pa-
cis, aut summi belli fundamenta jaci
existimo. Sed uti spero brevi sciemus,
quorsum evasura sint omnia. Benè valc.
Venetiis.

EPIST. XXIIII.

ÆMILIO PERROTTO S.

SAPIENTER tu quidem, quod
unà cum literis pecuniam mihi de-
bitam misisti: nam nisi ad diem solvis-
ses, ego usuras tam magni nominis exi-
gere cogitabam. Miraris tam subitò

factum negotiatorem aut etiam fœneratorem: hui, an me Venetiis ^a tot menses frustrà vixisse existimas? an verò tu id initio dabis, quod Longolium factitasse ferunt? Evidem quoniam literas Græcas hic discere non possum, & me locus admonet, rem facere decrevi, ne ex omni parte mihi tempus hoc pereat. Hæc ego, Æmili charissime, propterea jocatus sum, quod mihi debere diutius noluisti: & certè rem aliam quam scriberem non habebam: scribendum autem erat aliquid, cùm tu meas literas requireres. Nam de rebus Gallicis quòd suspicaris me quiddam certius habere, idque non esse complexum literis doles, amabò, quid tibi venit in mentem, petere ab homine aulico, ut hæc mysteria proferat? ego sanè si tacere non possem indignus meritò viderer, cui aut tu, aut aliquis omnino sua consilia crederet. Quare etsi nomine negligentiae suspectus tibi sim, quòd ea quæ tu scire avebas prætermiserim, amicéque admoneas, ne posthac aliquid simile committam, in omnia te vertas licet, num-

^a Vbi quāplurimi Negotiatores, aut etiam Fœneratores.

quam tamen ex me verbum elicies. Egóne res quæ tantum momenti habent, quas vix corām, idque non nisi in aurem, literis quæ intercipi possunt, committerem? cur igitur scripsi superioribus ^a literis, res Gallicas bono loco esse, & fore meliore? omnino de futuris affirmandi temeritatem effugere volo, sed quantum conjecturā providere possum, ita erit: in Gallia summa est pax, summum otium, atque ut nunc quidem est, nullum videmur hostem habituri, nisi nos priores provocaverimus. Italia quidem et si belli incendio universa non ardet, aliqua tamen in ejus parte scintilla relicta est: præterea nescio quo suo fato ita infecti partibus sunt Itali, ut in publica rerum omnium tranquillitate, privata tamen odia inter se exerceant, quovis bello perniciosiora. Qui Gallorum imperium detrectabant, Hispanis, ne quid gravius dicam, servierunt: ulti sunt me hercule vicem nostram, qui cum à Gallico nomine abhorserent, atque adeò se in libertatem afferi vellent, in longè durissimam servitutem sese

^a Nimirūm extremā lineā Epistolæ 9.

conjecerunt. Neque enim quicquam
inimicis nostris , si quos habeam , im-
precari gravius habeo , quam ut in His-
panorum ^a redigantur potestatem. Bel-
lum , fames , pestilentia , multò minora
videntur hoc malo : quod & illi ipsi ,
qui usque adhuc partes Hispanorum se-
cuti sunt , propemodum sentiunt : &
nisi quosdam puderet inconstitiae , aut
etiam si receptum iri sperarent , libenter
ad nos deficerent. Sed tu hæc scio non
sine risu leges. Vix enim teneo me , cùm
de Hispanis aut loquor , aut scribo ,
aut cogito. Illud tamen volui dicere :
nos sive hac pace perpetuò fruemur ,
beatos fore : sive tempestivè bellum
Hispanis inferemus , hoc quoque no-
bis bene ac fœliciter eventurum. Ve-
rūm inter scribendum abripuit me trans-
versum nescio quis æstus animi , invec-
tus sum in Hispanos , concidi prodi-
res , ultus sum utrosque : quid non ? ri-
diculum sanè , sed ut ad animum , non
malè. Bene vale.

^a In confessō est , & tristis experientia multos
docuit , nihil gravius & acerbius esse Hispanicā
Dominatione : pleni Politicorum libri , plena
exemplorum hujuscē sēculi ; & præsertim ante-
acti Historia. Consulendus liber inscriptus , Hispa-
nicā Dominationis arcana.

Heus tu , omisram unum , quod tu
non minus libenter leges , quam cætera.
Vites quæ in Gallia sub initium veris
congelarant , ita ut nulla spes esset vin-
demiæ , Dei Opt. Max. beneficio re-
floruerunt , uisque penè onustæ spem
minimè dubiam fertilitatis ostenderunt.
Quis ex hoc non bene ominetur
Galliae ? Reynoldus noster te salutat ,
qui nunc Venetiis apud Comitem Gas-
parum vivit. Is cum sit vir nobilissimus ,
non tamen ut nostri homines à literis est
abhorrens. Quanquam enim Græcè La-
tinèque luculentè scit , in omni tamen
humanitatis parte libenter versatur. Hu-
jus comitis nepos , cui cognomen à Ca-
millo , eodem est erga literas animo ,
summa eruditione , acri ingenio , & ,
quod paucorum dierum consuetudine
facile perspexi , eleganti juditio : uterque
cum firmo sit corpore , & ad rem mili-
tarem aptissimo , tamen ita in studia in-
cubit , ut eruditionem ab iis , qui per-
petuò in Bibliothecis sedent , ad mili-
tes , qui magnam partem temporis in
castris vivunt , transferre velle videri
possint. Quotidie dant operam Mario
Nizolio , viro sanè doctissimo : eo enim

præceptore in ^a Græcis utuntur : de cuius literis et si multa honorificentissimè nobis exposuit Reynoldus, scito tamen doctrinam hominis prædicatione majorem esse. Præterea tanta est in homine facilitas , quantam ego adhuc in homine Italo non inveneram : non est de iis quibus uterque nostrum succensere solet , qui omnia quæ didicerunt , tacita tenent. Patefecit se totum mihi , & nunc beneficio Reynoldi utor homine familiarissimè. De te , institutoque tuo , inter nos aliquando verba fecimus : quod ille cùm vehementer probat , tūm etiam sperat , per te jus civile ex densissimis tot interpretum tenebris in claris-

^a In Literis Græcis doctissimus Nizolius è græco in latinam linguam translulit explanationem obsoletarum vocum Hippocratis , quæ à Iunætis excisa est cum operibus Galeni. Locutionis quoque Ciceronianæ studiosum fuisse indicant ejus Apparatus , & in Ciceronem observationes , pro quibus , cùm tanquam pro Aris & Focis , contra Marcum Antonium Majoragium , Mediolanensem , virumque politioris literaturæ & eruditissimum , dimicaret , edidit contra eum Majoragius reprehensionum libros duos , & recusationem omnium eorum quæ in decisionibus Majoragii tanquam male posita Nizolius notaverat. Nec tantum utriusque linguae peritissimus fuit Nizolius , in Philosophia etiam claruit , scripsitqne de veris principiis , & verâ ratione philosophandi contra Pseudophilosophos .

simam lucem prolatum iri : ego in animum induxi , prius Jurisconsultos non attingere , quām tu hoc non efficeris. In qua tamen re te omnes sic volumus laborare , ut interim val. tudinis rationem ducas. Interum vale. Saluta ex me Bartolomeum & Franciscum , si fortè jam venit. Venetiis. Ad XII. Calend. Aug.

EPIST. XXV.

ÆMILIO PERROTTO S.

EXPECTABAM ex die in diem , dum aliquid novi ad nos afferretur , unde mihi nasceretur argumentum epistolæ: ecce tibi Guilielmus ^a , (scin' quem dicam ?) illi inquam Guilielmus , qui quo tempore nos unà Tholosæ eramus , apud Senatorem ^b Vabrensem vi-

^a Ratio temporis , quo Ioannes Guilielmus , Lubecensis , vix vigesimum - nonum ætatis annum egressus , obiit , suadet alium esse à Guilielmo [sive Guilielmo , ut legere est in Epistola 55] de quo hic agitur , et si contrarium totis viribus contendat vir eruditus , mihi multis nominibus commendandus .

^b Forsan is est , cuius tumulus visitatur in meditullio Capellæ , vulgo dictæ de Notre Dame de Nazaret , in Civitate Tolosana ; unde conjicit Ca-

cebat , Venetias venit : homo sanè tui cupidissimus , is in primo statim congressu , cùm vix inter nos salutassemus , ubi est , inquit , noster Æmilius ? valde hominem videre cupio , ut valet ? Ad quæ ego cùm & te valere & Marosticæ agere respondisem , alterum libenter audivit , te esse integrâ valetudine : tam longè verò abesse , ut videre non posset , id verò non mediocriter ægrè ferre mihi visus est. Quare autem Marosticam profectus non sit , & de omnibus rebus ex literis ejus audies , quas cùm ad te mitterem , non potui facere , quin ipse quoque aliquid darem. Expecto literas tuas , ut sciam qualem questionem illam mihi explicas , eundūmne sit , an manendum : an verò eundūm quidem , sed post unum & alterum men-

tellus in monumentis Historiæ Occitanæ eum dicat Capellam construendam curasse : sed male meo iudicio : memini enim me legisse longè ante tempora Claudi Vabrensis constructam fuisse eam Ecclesiam , quæ per Commissarium à Sede Romana deputatum , ut consiat ex actis antiquis , olim in Collegiatam erigenda erat. Cæterū Barones à Castronovo de Strictis Fontibus , id est , *Castelnau d'Estrétefons* , sunt è Familia Vabrensiū , sive Vabresiorum.

^a Marostica , nobile castellum in Marchia Tarvisinā , non procul à Bassana , oppido .

sem redcundum. Valde enim dubito, nunquid incertum sit quod velim, sed valde vereor, ne quid inconsideratè faciam. Mitte igitur epistolam plenam consilii, quo tu abundas. Novarum rerum hīc quidem nihil audimus, nisi fortè illud non adhuc ad vos perlatum est, Helvetios propter religionem civili discordia flagrare, adeo ut res ad arma venevit: pugnatum est inter eos atrocissimè, multi vulnerati, multi cæsi; vieti, si verum est quod audio, Luterni. Hæc sunt prælii futuri quædam veluti initia: non enim res tanta inter tam feroce populos tam facile transfigetur. De Matre Regis, quæ ego tibi proximis literis scripsoram, certa sunt. Congressus Imperatoris & Regis adhuc est in aliqua spe. Haec tenus de publicis: nunc audi privata. Ego quam rationem studiorum meorum ab initio institui, eandem teneo: illud accessit, do operam literis Hebraicis, sed quasi aliud agens: utor præceptore Aloysio Grifalcone & Oratore. Si quotidie aliquid legeremus, ego fortasse non nihil promoverem, sed multum intermittimus. Ego ut in tanta interpellatorum multitudine

hujus linguae asperitatem degustabo, et si nihil aliud hoc tamen consequar, ut si quando in haec studia toto pectori incumbam, omnia sint mihi faciliora. Josephus Patavium profectus est, post alterum mensem, ut quidem Orator ostendit, redditurus. Piochetus noster discedens reliquit apud me ^a Ruellium, de verbo mirifico, & arte Cabalistica, ut eum ad te perferri curarem: dicebat enim te de hac re secum locutum. Tu vide num tibi mitti velis, & per quem: ego enim de fide nuntiorum interdum dubito, & illi ne libelli quidem pondus sibi imponi patiuntur, ut nuper in Salmonio accidit, quem una cum duabus tabulis, & meis literis tibi redditum esse puto. Rescribe ad omnia. Saluta mihi Lodicum. Benè vale. 8. Idus Novemb.

^a Lege Reuchlinum, et si Carolus & Henricus Stephanus, viri literatissimi, in eundem errorem inciderint; scripsit enim Reuchlinus, qui & Johannes Capnion dicitur, de verbo mirifico libros tres, totidemque de Arte Cabalistica; Ruellius vero de iis dumtaxat scripsit, quæ ad Medicinam spectant.



EPIST. XXXVI.

ÆMILIO PERROTTI S.

NON dubium est , quin epistola mea , quam ego duobus rusticanis , qui mihi à te literas illas plenas querelæ reddiderant , commisi , non dubium est inquam , quin ea perierit . Nam si tibi redditæ esset , certè si bene te novi , aliqua in parte literarum tua- rum , quæ mihi eodem tempore binæ sunt redditæ , nonnullam illius mentio- nem fecisses . Miseram enim unà cum epistola orationem Julii Camilli , in qua de ratione eloquentiæ multa erant , quæ tu , nisi fallor , magna cum volup- tate legisses , & eam ego summa cum festinatione tibi gratificari volens , des- cripsoram . Erant præterea in literis meis nonnulla , quæ ego ab omnibus le- gi non vellem . Quòd si fasciculus ad te perlatus non est , næ ego non medio- criter doleo . Venio ad tuas literas , qui- bus priusquam respondeo , pauca de me tibi scribam necesse est . Ego antea te consulebam de profectione Romana ,

E

quid mihi agendum putas: nunc verò quid planè constituerim, paucis accipe. Superioribus diebus cùm Aloisius & Grifalco audiēte Oratore hanc mihi peregrinationem dissuaderet, & ad metum bellum turcicum proponeret, suasit contrà Orator, ut hac ipsa de causa in viam quamprimum me darem, quò scilicet quæ supersunt Romanae urbis vestigia, priusquam penitus deleantur, spectare possim. Hæc cùm audissim, existimavi nullum deliberationi locum esse relatum. Eundum igitur est: nactus sum comites viæ fidelissimos, Gallos duos, qui circiter Calend. Martias navim conscendere volunt. Nimium quidem urgent, sed ab ea sententia deduci non possum. Ego igitur unà cum illis manendum satis aperto committere me decrevi: vellein te mea causa nonnihil ad Fundulum scribere: sed tempus instat: tu si tuo commodo poteris, quamprimum ad me literas mittes: sin minus, ego tamen illi ex te salutem dicam. Xenophontem tuum & Aristotelem de Anima, Alixantio, qui nuper Venetas

* Doctus in Literis Hebraicis ex Epistola prædicta.

venerat, commisi. Homerum, quoniam cum jam atrivi, & commentarios Budæi ^a apud me retinui, de his omnibus post redditum ego tecum decidam. Nunc pessimè sum instructus à pecunia: sed cum Romain venero, Jacobus Bernoïus ^b, ut ego bene spero, non mihi deerit, & fortasse interim non-nihil literarum à fratre veniet. Ego post duos, aut ad summum tres menses, nisi adversi quid in via mihi acciderit, te videobo. Nunc redeo ad ea quæ petis. Quod attinet ad literas, quas ad amicos dare cogitas, vix meam operam propter subitum discessum navare tibi potero. Tutissimum igitur fuerit, fasciculum ad Jacobum nostrum mittere,

^a Intellige de Commentariis Linguis Græcæ, quanvis & in Homerum commentaria meditaretur Budæus, aut saltem observationes, quarum Autographum instar thesauri in instructissima Bibliotheca assertat Dominus Ranchinus Senator Tolosanus, vir multi nominis; & quem, sive versus pangat, sive de literis humanioribus differat, Palladis numine afflatum, & gratiarum choro stipatum, dicas.

^b Hinc conjici potest Jacobum Bernoium forsitan fuisse è Familia civis illius Tolosani, qui tantos thesauros superiori sæculo congesserat, ut proverbio locum fecerit apud Tolosates, *Riche comme Bernoie*. Ille ipsem Bernoium, cuius dum possident Jesuitæ, originem ex nobili Familia Burgensi apud Hispanos ducebat.

Eij



qui ad me , si nondum abiero , scribet ,
aut me absente negotium per se admi-
nistribit. De Jacobo quod audisti ,
falsum est : venerat enim cum Alardeto
Venetias omnium Gallorum nomine.
Nam Pedemontani ejēcti à nobis , co-
nati sunt astu quodam in nationem An-
glicam irreperere. Quod ubi primūm
eos moleri rescivimus , obstitimus illis
acerrimè. Hac de causa uterque venerat.
Jacobus autem apud me questus est ,
se nihil à patre jamdiu aut literarum ,
aut pecuniae accepisse : is si mihi impo-
suit , ego quoque tibi impono. Patruo
Francisci , quem mihi commendabas ,
ego omnem meam operam pollicitus
sum : is sine me se rem suam posse con-
ficere respondit : habuit tamengratiam.
Condixisse illi prandium familiarius ,
& more nostro , sed puto te intelligere
ubi vivam. Habes ad omnia. Illud quod
in principio statim posui de illa epistola ,
oblivisci non possum. Amabò quære
diligenter qui sint iliquibus tu supe-
riores literas dederas : nam illis ipsis ego
epistolam cùm oratio ne Camilli com-
misi. Rerum novarum nunc quidem
nihil est. De Turca constantissima fa-



ma, eum apparare omnia. Quid aut quò cogitet, non prius certo sciam, quām copias suas moverit. A iunt Imperatorem in Italiam primo quoque tempore reversurum. Hæc publica: illud privatum. Orator & Abbatia auctus est. Hæc raptim ad te scripsi, ut si quid velles, ad me ante discessum literas dares. Ego enim quanquam differre adhuc aliquos dies cupio, tamen aliorum voluntati necessariò inserviendum est. Benè vale, & me ama. Saluta mihi Franciscum Lodovicum. Venetiis. 7. Calend. Mart.

^a Quæ vulgò de Charroux, dicitur latine Karofium aut Carrofum, & sita est apud Pictavos; in ea quatuor Concilia olim celebrata fuisse ab anno 989, ad annum 1186, memorix proditum est.

EPIST. XXVII.

CLAUDIO PHORCRISIO * S.

ECTIS tuis literis cæpi nonnihil de tua erga me benevolentia dubitare. Neque enim si mihi amicus es,

* Claudio Phorcrisius, ut erat benè doctus, ex Bunelli commendatione, post diutinas peregrinationes, à Ioanne Bertrando, in Cusia Tolosana Præside, domi humanissimè exceptus fuit, ubi per aliquod tempus in literis humanioribus vixit. Vide Epistolam 52.

negotium patroni tui , Tarbellorum Antistitis , tam multis verbis , tam anxie , tam demissè mihi commendasse , & non potius quid me ea in re facere velles , nutu significares . Quod si cælum britannicum te ita nobis immutavit , ut non solum Senatus populique Romani , verum etiam nostræ necessitudinis oblivio te ceperit , quidem doleo te tandiu in illa provintia fuisse . Sin te aula adeò expolivit , ut cui omnia onera jure familiaritatis imponere possis , ad eum supplex venire non recuses , minus commoveor . Sed ego , qui in hoc vestro ludo minime sum eductus , si quando tua industria ad rem aliquam mihi opus fuerit , illud tuum exemplum non imitabor . Extra jocum . In re patroni tui curanda , nullum Vaurenſis Antistes diligentiae meæ locum reliquit : neque vero ut in memoriam redigerem , unquam necesse fuit . Si quando mentionem facerem , præclarè meminerat , suam rem agi dicebat : addebat quamplurima de Patroni tui virtutibus , quæ ego eis si ante annos aliquot de multis cœpisse au-

^a Ille Tarbellorum Antistes , Regis Galliarum apud Cæsarem Legatus erat , ex Epistola 38.

diveram, & ex eo tempore illum colere
cœperam, gaudebam tamen meam de
eo opinionem viri optimi testimonio
confirmari. Itaque Vaurensis Antistes
quid effeccerit, quid non, prescribet: me
verò operi manus ne admovissē quidem
ibi confirmo, quare integrām op-
ram meam ad alia, si quæ restant
hīc agenda, tibi servo. Hactenus de ne-
gotio patroni tui: jam de nobis aliquid.
Tu in Italiam redire cogitas: ego, ita
me Deus amet, Galliæ desiderio con-
tabesco. Tu in Britannia, quemadmo-
dum facetè magis, quām verè scribis,
Romanè loqui didicisti: ego cùm an-
tea non illibenter Latinè scriberem,
Romæ eam exercitationem intermisī.
Domo egressus nihil audio, nihil video,
quod me deleat, præter saxa & vetus-
ta quædam numismata. Sed ego cùm
hominibus, non cùm saxis vitam age-
re decrevi. Meo dices hæc omnia acci-
dere non loci vitio, sit ita: sed hic er-
ror in quo versor, nisi mutatione loci,
mihi eripi non potest. Cùm in Gal-
liam rediero, si unquam in Italiam,
nisi coactus, tum demum omnia in me
probra conjicio, Bunellūmque om-

nium, quos unquam videris, inconstantissimi judicato. Interea dum hoc errore totus mihi displico, liceat mihi per amicos pigro & negligenti esse. Quod scribo propter eos, qui in me duriores sunt, si quando in literis scribundis cessare me viderint. Evidem vim animo mco afferre non possum: alacritate quadam mentis, si scribere velis, opus est, quam prorsus amisi. Hæc ego ad te paulò apertius scribo, ut causam nostram apud Bayfium tucare, cuius innumerabilia beneficia, quoad literarum studia mihi placebunt, obliisci qui possim? quoties aliquid aut lego, aut scribo, toties de summa illius erga me liberalitate cogito. Neutrū enim, nisi me Venetiis domi suæ vir humanissimus aluisset, vix unquam cum aliquo fructu facere potuisse. Nolim igitur eum sic colligere: tacet, nullas literas jamdiu ad me dedit: ergo ingratus est. Illud potius, ergo piger, & negligens, in latinæ eloquentiæ curriculum vix dum ingressus, cùm summa animi contentione progredi deberet: stat in eodem vestigio, aut etiam regreditur (libet enim verum fateri)

Hæc etiam causa præter superiores fecit, ut epistolam mittere ad eum distulerim, quod nihil doctissimi viri palato jucundum hoc tempore ab eo fonte manare certò perspicerem, qui mea negligentia prorsus exaruisset. Ille me in veteri exercitatione permansisse existimat, & aliquid magnum expectat: at ego vix singulis annis singulas epistolas compono, quod ita vel me tacente facile cognosces, cum hæc dissoluta & dissipata leges, nullisque articulis inter se cohærentia. Sed inter nos peccare licet: Bayfi judicium, qui mihi ^a Longolium præponere solebat: magis pertimesco: superioribus tamen diebus ad eum scripsi, sed valde breviter, propterea quod festinaret tabellarius. Spero futurum, ut epistolam uberiorem brevi à me accipiat. Interim tu me illi diligentissime excusabis. Vale. Romæ.

^a Longolius sanè utique præponendus; unicuique suæ erant in literis perpoliendis Veneres; ut meritò de illis dici potuerit,

Non fert Pompeiusve parem, Cæsarve priorem. Sed quamvis Longolius magis exilis esset in sententiis, & minus luculentus in verbis; ingenuè tamen fatendum est eum ingentiorem spem sui nominis excitasse, ob id Romanam Civitatem adeptum. In eo etiam incredibiles erant ingenii

dotes, verbis utar Bunelli, & eximia in studiis literarum præstantia; immò ita suprà juvente annos omnibus artibus præditus erat, ipso Bembo teste, ut si fata tantum virum Reipublicæ Literariæ non invidissent, paucos pares, nedum superiores habuisset.

EPIST. XXVIII.

ÆMILIO PERROTTO S.

DE peregrinatione mea ad hunc usque diem nihil ad te scripsi, tūm quòd de reditu meo ac aliis certior statim factus es, tūm quòd de rebus Romanis, quæ tibi sunt notissimæ, scribere non ita necesse arbitrabar. Et me hercule adhuc languebam de via, neque me ad veteres exercitationes referre poteram. Nunc verò recuperata aliqua ex parte pristina scribendi alacritate, & libris meis, quos propter discessum iratos habebam, ad intermissam mitterdarum literarum confuetudinem redundum mihi existimavi. Ut igitur de me aliquid ex me ipso audias, vixi Romæ supra x x. dies apud Jacobum nostrum libentissimè, qui quidem non solum domum suam mihi patere voluit, sed omnia amici, & Christiani hominis officia liberaliter & prolixè præstitit;

Per eos dies ego cuius causa veneram non oblitus, omnia antiquatum vestigia, quæ quidem adhuc conspici possunt, studiosè conquisivi. Quod temporis mihi ab hoc spectaculo superfuit, id omne viris doctis salutandis dedi: conveni ^a Fundulum, & tuo nomine salutavi ^b Marium: est in homine humanitas summa: collocutus est mecum familiariter de multis rebus: multis sermo de te & studiis tuis. Quid quæris? totum se patefecit mihi, quesitus est graviter apud me, quod spreta tranquillitate & libertate Gallica, in has turbas Italicas & durissimam servitutem se dedit. Sub discessum meum, cùm ab eo quærerem ecquid literarum ad te vellet, respondit se cuidam, qui Patavii philosophiam profitetur, paulò ante adventum meum literas ad te dedit. Ad Funduli familiaritatem accessit Pantagathi ^c quotidiana ferè consuetu-

^a Hieronymus Fundulus Bunello, Longolio, Ioanni Pino, & aliis viris literatis familiaris, talis erat, in quo nec morum candor, nec eruditio desideraretur.

^b Aut is est Marius Corradus, aut Marius Semonius, aut Marius Nizolius.

^c Octavianus Pantagathus, qui & Pacatus nominari voluit, nulla traditionis suæ monumenta

do, cuius hominis ea est in congressu suavitas, ut cum à prandio statim ad eum adirem, ante noctem ab eo divelli minimè possem. Ad pietatem autem nostri sermones, nostræque disputations omnes referebantur: est enim in hoc genere literarum princeps Pantagathus, adèò ut humana omnia studia præ divinis contemnat. Præter hos duos salutavi Lascarum, a cui me per literas Orator commendarat. Eruditionem hominis quid ego tibi prædicem? Sed est in eo etiam rara quædam & incredibilis humanitas. Quanquam enim &

posteritati reliquit; dignus tamen gloria immortali, ut potè qui doctiores Italiæ viros, non solum ad bonas artes excitarit, sed eos etiam è congressu suo instructiores semper dimiserit, nec Fulvium Vrsinum, nec Onuphrium Panvinium excipio. Ita ut verè de eo olim cecinerit Lavinius Torrentius:

*Quo gaudet omnis Roma superstite,
Fletura defuncto, nec ullis
Temporibus paritura talem.*

Roma tamen natum ne putas; erat enim Britianus è Longobardia inferiori.

¶ Ianus Lascaris utriusque linguae fuit peritissimus, cuius rei fidem faciunt ejus Epigrammatæ græca & latina; quædam de militia Romanorum & castrorum metatione è Polybio excerpta in latinum vertit. Francisco I in deliciis fuit, & Gaielmo Budæo carissimus.

extrema senectute , quæ quidem per se
morbis est , & totius corporis cruciati-
bus ferè semper affigitur , tamen se
conveniri à studiosis non solùm facile
patitur , verum etiam gaudet. H abes de
peregrinatione mea , non omnia qui-
dem , sed maximè insignia. Reliqua
Paulus noster tibi , ut spero , fusius ex-
posuit , quem ego me hercule plurimū
amo , & Marosticæ tecum vivere , tūm
mea , tūm illius causa vehementer læ-
tor : meos enim cives non solùm erudi-
tos , verum etiam probos esse meà re-
ferre multum existimo , & ad utrum-
que consequendum , consuetudinem
tuam magnum adjumentum allaturam
certò scio. Est quidem ille sua sponte
neque à bonis literis , neque à pietate
abhorrens. Sed dum suorum expecta-
tioni satisfacere cupit , non in jure civili
solùm , quod per se ipsum latissimum
perdiscendo , sed in Acursi , Bartoli ,
Baldi verbosis & obscuris commenta-
riis penè ad verbum ediscendis mag-
nam partem temporis ponere cogitur.
Hic quibus verbis ego tecum agam ,
non reperio. Te quidem mihi amicissi-
mum esse , non ullo meo merito , sed

animi tui quadam inductione, non dubito: & quod me valde cupere intellexeris, facturum vehementer confido. Itaque commendabo tibi primum civem meum, deinde etiam amicum, ne tu in rogando ambitiosum, ob multa erga me officia mihi charissimum: quem tu, quoniam eo petente libenter Marosticam evocasti, meo nomine arctius complectare velim, studiorum laborem industria tua subleves, neglectis istis litigandi artibus, ad fontes æquitatis veluti digitum intendas: in summa, consulendo, monendo, ita cum eo agas, ut intelligat te commendatione mea impulsu aliquid ad pristinam voluntatem addidisse: te in doctorum ordinem approbantibus Italis, tuamque in jure civili eruditionem in cœlum extollentibus, relatum esse, pro coac debo laetor, tibiique, quanquam sero, gratulor. Illud quidem certè iniquo animo tuli, me huic spectaculo non interfuisse: in quo, nisi necessitate compulsus aliqua in id tempus incidisti, sanguine hercle non satis rationem amicitiae nostræ habuisse videris. Quod nisi tui istius facti aliquam justam causam ad-

fers, dabis mihi poenas : idem scilicet ego tibi reponam, cum me vestris insignibus ornari cupiam. Dicis, nunquam id futurum non male suspicaris : ego enim in aliam studiorum rationem longè diversam à vestra me totum dedi. Haec tenus de privatis rebus : nunc audi per pauca de publicis. De adventu Regis Turcarum ut horribilia, ita certiora quotidie ad nos afferuntur : nondum tamen constat, in Italiā, an in Germaniam invadat. Quid consilii ceperit, brevi sciemus. Jam ccc. milia hominum, ^a & amplius, sub signis habet. Ad quem exercitum alienum cum incredibilis quædam pecuniae vis illi opus sit, tamen superioribus diebus galeam auram gemmis quasi stellulis distinctam xv. millibus aureorum mercatus est. Imperator, ut non nulli confirmant, ex ^b morbo Gallico laborat. Accedit ad morbum hu-

^a Immò & sexcenta millia ex Epistola 30.

^b An illud κατὰ πόδα, an in sensu mystico, intelligendum sit, disquirunt multi : sanè quæ sequuntur, Imperatorem ex morbo venereo laboresse confirmant : utatur quisque hac in re iudicio suo. Hoc unum scio, non omnes qui gravioris sunt supercilii, rigidæ virtutis esse sequaces : Amavit Franciscus L², amavit & Carolus V²

jus belli impendentis metis. Hanc ego
in malis voluptatem capio, quod eum
qui in nos tam crudelis fuit, non so-
lum corpore ægrotare, verum etiam ani-
mo angi videre mihi videor. Bene va-
le. Saluta mihi Franciscum Lodovi-
cum, & omnes qui tecum nunc Ma-
rofisticæ vivunt. Venetiis. 2. Idus Ju-
nii M. D. XXXI I.

& ne quid tam strenuo rivali in ludo amatorio ex-
probraret, morbo etiam Gallico laboravit. Fe-
lix! & nimium felix, si graviori non laborasset,
sed norunt Hispanici quid sit *el remedio de Carlos*
quinto.

EPIST. XXIX.

PAULO MANUTIO S.

FUIT autem tempus cum ego Paulum
Manutium ob suavissimos mores &
præclaram ad summa omnia indolem
plurimi facerem, neque solùm ad litera-

autem fuit etiam tempus cum Paulus Manutius sin-
cera fide in quadam ad vidum Fabrum Epistola
fateretur, se à Bunello maximum habere benefi-
cium, quod eum cum Politianis & Erasmis (aut
cum Philelphis & Campanis, ut ferunt posterio-
res editiones) nescio quibus misere errantem, in
rectam scribendi viam primus induxerat. Cujus
temporis, & tanti beneficij oblitus, non ex-

rum studia , sed ad probitatis paternæ imitationem currentem quidem cohortarer , tūque me ut Gallum hominem & hospitem , non omnino contemne re viderere. Cujus temporis , si non prorsus oblitus es , oportunè Phorcri sius hasce literas tibi reddet , quæ senescentem quidem , non tamen penitus extinctam Bunelli memoriam in animo tuo renovabunt : atque is quæ mea sit erga te voluntas , quod meum de te judicium , quām frequens , quām honorificus sermo , tibi multò liberius exponet , quām si istud ipsum verecundius , quemadmodum mea fert natura , literis comprehendenderem. De ejus fide nihil est quod dubites : est enim in eo minimè fucata probitas , & non mediocris in omni genere literarum eruditio : unā multos annos coniunctissimè viximus. Si quid igitur de vitæ meæ ratione scire voles , ab illo omnia. Ego pro eo unum abs te peto , ut Claudium Phorcrisium non solum ut benè doc-

buit dicere totidem vobis ? *Quis porrò ratione
& quasi viam , quā pervenire ad eam (Latinæ
nimirum orationis laudem) liceat , nobis indica
vit ? Vix totis Oceani undis tantam ingratitudi
nis maculam diluere possit Manutius.*

tum hominem , verum etiam ut mihi
amicissimum , tuaque amicitia dignum,
quo , poteris officii & humanitatis ge-
nere complectare. Bene vale. Saluta
meis verbis Rambertum , quem olim
de commodis meis cogitasse , præclarè
memini.

EPIST. XXX.

ÆMILIO PERROTTO S.

LI TERIS tuis , quas binas eodem
tempore accepi , breviter respon-
debo. De libris emendis , & ante dis-
cessum tuum mittendis , probas mihi
confilium tuum. De genere vecturæ
ego diligenter ab omnibus , quos hic
novi , quæsivi : magna pars eorum ,
qui Lugdunum libros mittunt , navi
Taurinum usque vehendos curant : est
tamen hic mulio , qui se post quinque
aut sex menses discessurum confirmat :
sed is pro justa muli sarcina duodecim
aureos sibi dari vult , cum reliqui mer-
catores ultra decem dare non soleant :
ego tibi author sum , ut quoniam alia
quoque de causa Patarium venturus

es, primo quoque tempore ad nos advoles: si erit ulla prælens occasio, ea utemur: si non erit, tu tamen libros emptos compones ut videbitur: ego reliqua sollicitudine te liberabo. Hoc consilium mihi tutissimum visum est: tu tamen quid in re tua tibi faciendum sit, optimè pro prudentia tua dijudicabis. Hæc pro certo habeto, nunquam defuturos nobis, per quos Lugdunum quæcumque volemus perferri possint, si tamen erit pacata & tranquilla Italia, quod ego præstare tibi non possum. Puto te memoria tenere, quid ego tibi, cùm h̄ic esles, dixerim: res quo loco sunt, diutiis esse non possunt. Rex Turcarum cum sexcentis millibus militum Viennam magnis itineribus contendere dicitur. Rumor est imperatorem esse planè imparatum, quamquam Hispani h̄ic dissiparunt, Lutefanos, pacatis discordiis omnibus, ad causam^a adjunctos esse, Genuæ aiunt armamentarium, in quo omnia ad bellum necessaria asservabantur, igne conflagrassæ. Dux Mediolanensis, quò pecuniam Imperatori promissam ad

^a Vide Epistol. 7.

diem non solveret , Cremam , rebus omnibus suis comportatis , confugit . Prædo ille insignis , « qui à barba rubra nomen invenerat , à nepote suo interceptus esse dicitur . Sed de his & & aliis rebus brevi certiora audiemus . Vale .

* Oenobarbum intelligit , præfectum classis Solimani , vulgo dictum Barberonisse .

EPIST. XXXI.

JOANNI * FRANCISCO
SELVÆ S.

AMICITIA quidem nostra tam altè radices egit , & ad eam magnitudinem crevit , ut literarum confirmatione minimè cgeat . Fuit mihi tamen perjucundum ea legere , quæ tu in eam sententiam copiosissimè & elegantissimè scripsisti . Ego ut sanctas amicitias , qualis mihi tecum intercedit , facilè omnibus rebus humanis antepono , ita ne aut falsa aliqua suspicio-

* Frater erat Odeti Selvæ & Georgii , Vauzensis Antistitis .

ne , aut malevolorum artibus labefac-
tentur , maxime laborare soleo : quæ
omnia adversum te nullam vim habuiss-
e latet. Epistolas ad fratrem tuum &
Danesium , perturbato animo , magis
mei purgandi , quam eloquentiæ osten-
tandæ gratiâ scripsoram : quas tibi &
eruditis non omnino displicuisse , quo-
niam cupio , facile quoque mihi per-
suaderi patior. Quod hortationes meas
magnum pondus apud te semper habi-
tur asdicis , sic existimes velim , te vi-
ros multò prudentiores , quorum con-
silio & monitis actiones tuæ nitantur ,
quam plurimos amiciorem , & qui tibi
magis ex animo bene cupiat , inventu-
rum esse neminem. Quæ à me non le-
viter , & ut mos est dicendi , ita scri-
buntur : cum neminem dico , verè &
præcisè accipi nolo : ut multos habeas
tui amantissimos , me illorum conce-
dere nemini : uberiores fructus aliorum
amicitia tibi feret , ego cum illis bene-
volentia contendam , quæ me etiam
cogit interdùm vereri , in hoc genere
vitæ quod delegisti , ne ita res humanas
complectare , ut divinarum te capiat
oblivio. Difficile est non moveri iis ,

quæ in oculos continenter incurruunt:
 ea verò quæ nunquam cernas, num-
 quam audias, animo inclusa tenere.
 Potest quidem utrumque fieri, sed mihi
 crede arduum est. Christi præsidiis mu-
 nitum eum esse oportet, qui tot, tantás-
 que difficultates superare volet. Ad
 eum igitur quām sæpiissimè revocanda
 mens est, qui nobis ita loquitur, ut
 nemo exaudiat, & ea nobis persuadet,
 quæ multis incredibilia videntur. Hæc
 paucis in præsentia ad te scripsi: aliàs
 pluribus, cùm plus otii nactus ero.
 Iterum valebis, & me amabis.

EPIST. XXXIII.

ÆMILIO PERROTTO S.

ACCEPI ad Idus Octobris lite-
 ras tuas, quinto, non octavo da-
 tas: quod ideo adscripsi, ne si tardius
 ad ea quæ petis, respondere videbor,
 negligentiarum mearum assignes. Mitto ad te
 Marii Solomonii paradoxa in ^a l. Gallus,
 non quod mihi magnoperè pro-
 bentur, nam quantum ex his quæ
^a L. Gallus. ff. de liber. & posthum.

egō per pauca tuo rogatu legi, judicare possum, non est hic Soloⁿonius aut excellenti doctrina, aut eleganti judicio. Sed quoniam ad hanc legem pervenisti, in quam iste satis longos & commentarios conscripsit, malui in eam partem peccare, quæ tutior erat: non enim decet me, qui à Jureconsultorum lectione longissimè recessi, temerè de illius Jurisperiti eruditione pronuntiare: & tu, ut auctor sit pessimus iste Marius, in eo magnam jacturam facere non potes. Pro quo libro & duabus tabellis recens æditis in quarum, altera formula testamenti, in altera venditionis, & ea antiqua comprehensa est, expensum tibi retuli **xxviii** asses. De Haloandro, quæ ego me in aliud

^a Commentarios in L. Gallus conscripsit Marius Solomonius, eques Romanus, in gratiam Iulii Medices Cardinalis, qui postea in Summum Pontificem Clementis VII. nomine assumptus est. In eam legem prius disputationem instituerat, & theses propugnaverat frequentissimo in concessu. Hortatu etiam Leonis X. ut erat familiæ Mediceorum addic^tissimus, interpretari instituerat Digestorum **30.** libros, sed re effecta è vivis excessit. In Politicis, & philosophia morali claruit; extant ejus tractatus de Principatu ad eundem Leonem X. de voluntario, & involuntario, & plures alii, qui ad Iuris civilis scientiam spectant.

tempus differre scripsoram , paucis acceppe : neque enim mihi licet mortem eruditissimi quidem , sed Christiani viri apud te deplorare . Tantum rescribam ad ea quæ te velle intelligo . De jure civili idem erat sensus illius , atque tuus : illud ipsum agebat , quod tu moliris : ad exemplum Oratoris Ciceroniani , Jurisconsultum ille formabat suum , qualem scilicet post illos antiquos vidimus neminem . Itaque statuerat libello quodam , tum à quibus disciplinis instructum esse vellet eum qui ad jus civile aspirare audeat : tum qua via in hæc studia unicuique ingredendum & progrediendum sit , exponere . Jam sylvam rerum , ut mihi quidem dicebat , summa diligentia congesserat , atque adeò quæ restabant , multò facilitiora existimabat . Venerat in Italiam , ut procul à typographis illis Germanicis , & aliis interpellatoribus molestis opus illud in otio posset absolvere . Quem verò locum tranquillitatis & quietis ille plenum fore existimabat , in eo febris vehementissima cum corripuit , & septimo die acerbissimis exercruciatum doloribus comsuimpfit . Hujus mortem

mortein & Longolii nostri, Villanova-
ni etiam, cùm ego mihi propono, in
eam penè adducor sententiam, ut existi-
mem, non solùm homines ipsos, verùm
etiam cœlum hoc Italiæ præclara inge-
nia transalpinis nationibus invidere.
Quinquaginta Pandectarum libros per-
legerat, inter legendum multos locos
enarraverat, quorum laborum fructus
ne unā cum ^a Haloandro extictus sit,
vehementer timeo: aut enim legi non
poterunt quæ ille negligenter scripse-
rat, aut fortasse in alicujus veniens ma-
nus, qui invidiosè omnia suppressimet:
atque ut edantur ejusmodi, tamen non
erunt, qualia fuissent, si per mortem
præmaturam extreimam manum adhibe-
re potuisset. Habes de Haloandro quæ
requircbas: cuius casus te quoque ad-

^a Georgius Haloander, Iurisconsultus Germa-
nus, Venetiis supremum diem obiit anno 1531.
non autem anno sequenti, ut falsò nonnulli
existimarunt; nec timere debuit Bunellus, ne
laborum, quos Haloander exanlaverat in emen-
dandis 50. Pandectarum libris, fructus unā cum
eo extictus esset, quinquenaio enim post ejus
obitum institutiones Iuris ab eo castigatas excu-
dendas curavit Sebastianus Gryphius; nec multo
post totum corpus juris, in quo emendando,
per totum ferè vitæ curriculum insudaverat.
Norimbergæ magno sumptu typis mandatum est.

monere debet, ut aliquando de te cogites, ne qui eandem studiorum rationem inivisti, & otium istud in Italia, quasi nusquam alibi sit, tantopere sequevis, ne tu, qui omnia similiter atque ille facis, simili oppressus calamitate, nobis ante tempus eripiare. De Roma-
na profectione cupio intelligere quam-
primum quid mihi consilii des: necesse
enim habeo scribere ad Bernouium nos-
trum, ut quæ sit ejus in hac parte vo-
luntas & facultas intelligam: aliter
enim mihi loquendum est cum Orato-
re, si velim Romæ esse: aliter, si post
unum & alterum mensem rediero. Ha-
bet me etiam sollicitum illud, an De-
mosthenem, Platonem, Isocratem,
Homerum mecum asportare debeam,
an illi Aldini libri vanales habeantur.
Hæc igitur multò antè constituenda,
ne quid temerè. Quare quid tibi videa-
tur, ubi primum poteris, rescribes. De
scriptore antiquitatum miror non te in-
tellexisse. Quod si a Josephi nomen in-
mentem tibi venire potuisset, satis
apertè loqui tibi visus essem. Memini,

** Scripsit enim Flavius Iosephus antiquitatum
Iudaicarum libros 20.*

cum Patavii in hortis deambularemus, quædam de ^a Josephi nostri, illius inquam, qui apud Oratorem mecum vivit, me tibi dicere Quia de causa puto te memoria tenere: hic se adhuc non commovit. Jam puto intelligis, quæ erant in superioribus literis de auctore antiquitatum: nam que de ^b Metona scriperam, non ita obscura erant, sed brevis admodum lætitia fuit hujus nuntii: postridie enim ejus diei quo ego literas ad te dederam, allatum est nostros accepta præda, & navibus imposita, urbem Turcis reliquisse. Rex Turcarum antea quideam sponte sua satis in nos incitatus, nunc hac injuria accepta à nobis instigatus, nonnihil ad suam antiquam crudelitatem addet. Rumor est eum navalem apparatum maximum habere, atque adeò in Siciliam: ubi primùm per anni tempus licebit, velle impetum facere. Erat hic in sermone, Imperatorem & Regem velle convenire in unum, & inter se de rebus suis colloqui: quod ego fieri quidem vellem,

^a Josephi scilicet Magetani.

^b Eadem urbs est, quæ Superius septima Ma-
thona indigitatur.

sed sperare non audeo. Venetos quorum opes horum principum discordia confirmantur, quæ vota facere putas? quid moliri censes, nisi quæcunque ad disturbandam pacem pertinent? Sed heus tu nescio qualiter accipies hoc nuntium: quām vereor, ne præmōtore in quartanam revolvare. Constans est fama, Regis nostri matrem vitam cum morte commutasse. Orator literas quidem à Rege nondum acceperat: omnes tamen ita loquebantur, quasi minimè dubium id esset. Consolacione uterer, sed hujus fœminæ mortem, si me audis, forti animo feres. De Comite D. Pauli, quæ ego tibi scripperam, ut postea intellectum est, falsa erant. Bene vale. 2. Idus Octob. M. D.

XXXI.

EPIST. XXXIII.

GEORGIO * COGNETIO S. P.

ET sī cūm Claudius Phorcrisius, utriusque nostrum amantissimus ad te proficisceretur, intelligebam nihil

* Aliis Cagnetius dicitur. Ille est Georgius.

opus esse meis literis : placuit tamen
hac brevi epistola , pro jure veteris nos-
træ benevolentiae abs te petere , ut tan-
dem aliquando constituta re familiari ,
animum tuum à sordidis istis , & doc-
to homine indignis occupationibus ,
ad ingenuas ex omni genere disciplina-
tum delectationes traducas , non repre-
hendo præterita , quoniam mutari ,
corrigique non possunt : & ego quibus
argumentis factum tuum defendas præ-
clarè memini , quæ , ut nescio quid è
vulgī ignorantia ductum habeant , phi-
losopho tamen nunquam probarentur ,
Theologo quidem certè Christiano
multò minus . Verùm sinamus hæc
quæ integra non sunt in præsentia : quo-
niam multorum industria aliquanto lo-
cupletior factus es repulsa ea , quam
tantopere mequebas , inopia , studia lite-
rarum diutius quàm oportuit intermis-
sa , revoca , & excelleis ingenium tuum
quoad vives , in maxima rerum cogni-
tione consume : ita enim ea quæ in-
currunt in reprehensionem necessitate

de quo epistolâ 7. & alibi , & quocum Parisiis
Tolosam redierat Bunellus , antequam in Ita-
liam proficeretur.

magis, quām judicio, te fecisse existimabimus, si ubi primum potueris, ad ea quæ magis te digna erant, rediisse animadvertissemus. Benè valc.

EPIST. XXXIV.

REYNOLDO CHANDONIO S.

MIRABAR hoc meo tristissimo tempore, cùm scires me discruciarī misérè, ne literam quidem levandi doloris causa scripsisse. Quid in causa esset, tandem suspicione asseditus sum. Quoniam Regi ea placent, quæ scribis, nos plebei & ignobiles à te contemnimur. Anteà cùm linguae Græcæ, Latinæ, addo etiam Italicæ studiosus eras, nihil te cogitari aut fingi potuit humanius: simul atque verò Gallici sermonis peritia accessit, repente exorta est arrogantia. An quia de fortuna Romanorum vernacula lingua conscripsisti, fortunatus adeò tibi videris, plúsque fortunæ tribuis, quām virtuti? Sed extra jocum. Probari maximè Principi quæ adhuc à te pro-

et Vide notata ad Epistolam 21.

fecta sunt, vehementer latet, novumque aliquid te quotidie moliri non molestè fero: modò Phorcrisium & Bunnellum ames, tēque ab utroque non mediocriter amari existimes. Bene vale.

EPIST. XXXV.

ÆMILIO PERROTTO S.

QUANTA in perturbatione rerum omnium verser, paucis accipe. Allatæ sunt à discessu tuo ad Oratorem literæ, fore ut successor mitteretur, ipse in Galliam rediret. Quis in tanta rerum aulicarum inconstantia constantiam retinere posset, præsertim si ab illis pendeat? & ne nunc quidem de discessu certum, quanquam eò omnia spectare videntur. Quòd si non discesserit Orator, neque cur, neque ubi in Italia consistam, video. Itaque in Galliam cum eo, modò velit, cogito: non quidem ut in aulam me conjiciam, sed ut Lutetiæ in aliquem angulum me abdam, in qua re & tu, uti spero, me adjuvabis. Omnino nihil adhuc tibi confirmo, sed cùm

Lugdunum veneris , ex aulicis , quid de re ista constitutum erit , intelliges , & ex illorum sermone , quid mihi faciendum esse putas , si placet , quam primum rescribes . Benè vale .

EPIST. XXXVI.

ÆMARIO RANCONETO * S.

SI M U L A T Q U E tuas literas aspexi , existimavi tibi homini acutissimo & gravissimo consuetudinem illam ad amicos Latinè scribendi , quem non tam

* Æmarius Ranconetus , Petro - Coriensis , et si in omni litteraturâ eruditissimus , nulla tamen doctrinæ suæ singularis monumenta reliquit , manuscripta si excipias , & librum Gallicum , hodie ad tineas delegandum . E manuscriptis autem , sive ex annotationibus , quas ad oram quam plurium librorum adnexuerat , multa notatu digna , & profundam eruditionem redolentia , hauserunt Principes in re literaria viri , quales Cujacius , Turnebus , Duarenus , Faber Sanjorianus , & alii , quos nimis longum esset recensere ; tanti viri elogium & quasi ejus vitæ compendium Videbis apud Thüanum ; durum mortis genus require ex additione ad illud elogium , quam nuper contexuit Antonius Teissier I. V. D. unius è viginti sex Academiæ Regiæ Nemausensis , in utrâque lingua peritissimus , mihiique carissimus eoque magis quò flagrantiora sunt animorum desideria , cum oculolum solatia perdiderunt .

necessitas ulla, quām linguæ peregrinæ peperit ostentatio, penitus disdiscere. Nam quid aliud suspicarer, cū te viderem Romanæ linguæ studiosissimum, & ejus summa facultate præditum, Gallicè scribere? Itaque ego, qui antea pigritia sensim in hanc sententiam dilabebar, gaudebam, quod possem meam negligentiam authoritate judicii tui defendere, tibique eodem genere sermonis rescribere cogitabam: vix dum perlecto epistolæ tuæ principio, animadverti te facti tui causam per jocum nescio quem adscribere, ac ne exemplo tuo mihi idem licere putarem, diligentissime cavere. Jam verò vos in jure judiciisque versati, homines simplices, & minimè cautos circumscribitis. Quid illa? nonne ingenii tui acumen redolent? te ex inopia latini sermonis laborare, cuius ego immensas divitias domi haberem, si tamen Latina posthac à te mallem, voluntatis meæ potius, quām facultatis tuæ rationem habiturum. Nempe idcirco, ut cū eloquentia me facile multumque superasses, invitus, & quasi me cogente in certamen def-

cendiſſe viderere. Oblitūſne es igitur illius formulæ, Inter bonos bene agier? Ego verò Latinè ſcribendi neceſſitatē tantum abeſt ut tibi impo- nam, ut contrā ne id facias vehe- menter abs te poſtulem: diſertus e- nim mihi videor tantisper, dum meas epiftolas cum tuis confeſoram. Videor- ne ſatis callidē occuriſſe conſiliis tuis? Sed extra jocum, te gravioribus stu- diis, & honestiſſimis actionibus ab iſ- to genere ſcriptionis avocati, facile patior: & ego ipſe, quem multa ne- gotia publica impediunt, mentem iſcriptis veterum intelligendis, quām ſtylum meiſ cogitationibus conſri- bendis, multō libentius exerceo. Ita- que niſi neceſſariō, nunquam ad ami- cos literas do, eāſque ſimiles iſta- rum, id eſt negligentiſſimē iſcriptas, ut facile appareat, me potius officio ſatisfacere, quām laudem ullam ex iſ- tiuſmodi exercitatione velle querere. Verūm hæc haſtenus. De Porphyrii dialogo multum tibi debeo. Xeno- phontis liber ad ea, quæ de Græco in Gallicum ſermonein a convertiſti, per-

¶ Hinc diſcimus Ranconętum quidpiam ¶

polienda , utinam adjumentum aliquod afferat. Mihi quidem certè post-hac isto nomine erit charior. Res enim meæ ita demum mihi jucundæ sunt , si abs tui similibus in usum aliquem expectuntur. Eum igitur librum ad te mitto , ut si apud te quandiu voles : ego enim mea omnia jampridem ad te detuli , quod ipsum à me sèpius , diligentiusque fieret , nisi planè ridiculum esset , cum , qui pecunias non habeat , venditare sese locupletissimis hominibus , eisque ultrò suas opes & copias impudentissimè polliceri. Benè vale. ^a
 Hospitalem senatorem æquissimum , de cuius singulari virtute summa omnia ad nos perferuntur , meis verbis salutabis:
Chandonium item , justissimis de causis mihi charissimum.

Græco Xenophontis in Latinum Sermonem convertisse ; infelici tamen successu , cùm vix illum alibi , quām in epistola Bunelli , ni fallor , vestigium appareat.

^a Est & hodierna die in Senatu Tolosano Hospitalis , Senator æquissimus & integerrimus , qui Dominus de l'Agrifoul dicitur ; nomine videlicet sumpto à vico de Agrifolio , in Diœcesi Tolosanâ , cui majores sui olim perhibentur. Agrifoliorum autem familia antiquissimæ & probata est nobilitatis , ut fidem facit Parlamentum anno 1283. Carcassona habitum , in quo

inter Barones, prout ea ferebant tempora Gail-
Ielius de Agrifolio Indicis partes implevit.

EPIST. XXXVII.

VICECOMITI MONTIS-
CLARI * S.

GRATISSIMA mihi fuit libera-
litas tua : eloquentia , cuius spe-
cimen brevi epistola dedisti , visa est
mihi mirabilis. Itaque de canibus ul-
trò ad me missis , magnam habeo gra-
tiam. Quòd verò literis tuis politè
subtiliterque scriptis non munus qui-
dem tuum , sed me potius ipsum orna-
re volueris , infinitum quiddam tibi de-
beo. Etsi enim eas laudes complexus
es , quas ego nisi amens planè sim , ag-
noscere non debeo , & nisi impudentissimus , non nisi cum pudore legere pos-
sum : tamen tanto sententiarum acumi-

* Monclarus , sive Montis-Clari Vice come-
viris literatis satis notus ; de eo sic scripsit olim
Petrus Paschalius in Epistola ad Ioannem Boys-
sonum ; *Novi quantum vir ille in omni genere*
laudis egregius , Latinis literis delectetur. Extat
& ejusdem Paschalii Epistola Latina ad dictum
Vice-comitem Montis clari ; is erat Aquitanus ,
& inter maiores suos Balduinum , Raymundi VI.
Comitis Tolosani . fratrem , numerabat .

ne, & verborum delectu eas perstrinxiſti, ut licet rem quæ ad me non pertinebat, non probarem, genere tamen scriptorum tuorum mirabiliter incenderer: quæ omnia cō majora visa sunt, quō magis p̄t̄er opinionem evenerunt. Familiæ tuæ dignitatem cognoram, summum in te homine nobilissimo esse omnium bonarum artium studium audiveram: in hac Latinè scribendi ratione, quæ magni laboris est, hominem id ætatis domesticis, & aliis curis gravioribus distractum, tantum operæ pone-re non putabam. In qua parte me deceptum mirificè lætor, tibique ex animo gratulor, quod vestri generis splendorem tam multis literarum insignibus illustrioren facias. Quod si, ut par erat, qui eodem loco nati sunt, in Gallia nostra similiter efficere conarentur, non solum viribus corporis & animi in periculis subeundis invicti magnitudine, sed varia rerum divinarum & humanarum cognitione, ex qua prudenter, animi moderatio, cæteræque virtutes mitiores oriuntur, plurimum reliquis p̄starent. Quod à veteribus illis sapienter fīctis fabulis significatum

est, dum eandem Minervam armorum,
& Sapientiae præsidem esse voluerunt.
Sed reliqui quid eos deceat, viderint.
Tu fœlix & beatus, qui nobilitatem à
majoribus tibi traditam, propriis tuis,
& verissimis laudibus nobilitas, & an-
tiquitatem familiæ senescentem, non
solum procreandis liberis renovas, sed
multò magis omnibus literalibus disci-
plinis perdicendis ab interitu & obli-
vione hominum vindicas. Quas excel-
lentes animi tui dotes cùm ego suspi-
ciam, consequens es, ut me in tua
potestate esse confidas. Sicut igitur ca-
nes duos non solum ob incredibilem ce-
leritatem, quam in leporibus assequen-
dis adhibent, sed magis quia essent tui
erga me amoris testes, à me accipi vo-
luisti: ita tu, quemadmodum spero,
meam hanc epistolam non ob ullam Ro-
mani sermonis elegantiam & venusta-
tem, à qua plurimum abest, sed tan-
quam meæ erga te observantiae obsidem
inter schedas tuas aliquo modo facere
paciare. Vale. Idibus Januariis.

EPIST. XXXVIII.

TARBELLORUM ANTISTITI,
Regis Galliarum apud Cæsareum
Legato, * S.

QUÍ literas inanes ad viros gravissimos, idque quo tempore maximis occupationibus distinentur mittere solent, Reverendissime Antistites: ii similiter sanè facere mihi videntur, ut pueri, qui in rebus ludicris totum diem consumentes, si quem fortè in re seria occupatum viderint, eum velut ex insidiis interpellant, aut apertè, agmine æqualium facto, adoriuntur. Quam

* Gabriël de Grandimonte, vulgo *de Gramont*, nonnullis perperam dictus *de Acrimonte* & *Onuphrio de Acrimonte*, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Ceciliae à Clemente V III. creatus, eo nomine maximè notus, quod diversas legationes obierit tūm ad Henricum V III. Angliae Regem, hinc ad Summum Pontificem, sed præsertim ad Carolum V, Imperatorem, pro libertate Francisci I. Galliarum Regis cuius beneficio ex Tarbeni Episcopo in Pictaviensem, ac tandem in Archiepiscopum Tolosanum evasit. Tarbelli autem, unde & Tarbenses Episcopi, ab urbe nimirum Tarba, quæ gallicè *Tarbe*, dicitur, differtque à Tarbia quæ est in partibus Bigerrenum olim à Romanis *Quatuor signani* appellati, à quatuor scilicet militum signis quæ apud se habebant in præsidio.

reprehensionem ego veritus , ex quo tempore à Rege Legatus ad Cæsarem missus es , semel quidem ad te , gratis agens , scripsi , quod id sine nefario scelere prætermitere posse non videbar: in eo autem quod scribo , invitatu aut jussu potius tuo id facio. Pupugerunt enim me ea , quæ in tuis ad Vauensem Antistitem literis de meo instituto addidisti. Si quid igitur hic pecco , te auctore pecco. Si quid erit in epistola , quod tu minus lubenter leges , aut si nulla prorsus sententia verbis inanibus subjecta , tua erit certè culpa , qui te , quicquid à Bunello proficiuceretur , in optimam partem accepturum significasti. Et quidem mihi hoc loco quærenti , quid potissimum hisce literis complecterer , illud statim occurit , me pro tuo celeri reditu vota Deo Opt. Max. sæpiissimè fecisse , & in dies facere. Et quoniam hoc commodis tuis non nihil adversari videri possit , rationem consilii mei tibi pluribus exponere decrevi. Si quis est , qui te honestissimum & ornatissimum esse velit , is ego sum : & si quam plurimos habes amicissimos , qui tuæ dignitati maximè fa-

veant, ego in hac parte illorum concesso nemini. Sed fortasse qui tibi bene cupiunt, non eisdem rebus omnes, quibus ego, commoda, laudem, dignitatēmque metiuntur. Splendissimum enim existimant consiliis & colloquiis principum interesse : legatione honorificentissima fungi, maximam esse hominum autoritatem apud omnes, & eximia sui laboris solere consequi præmia. Hoc non solum imperitis, verum etiam doctis & prudentibus ita ad veritatem persicasum est, ut difficultatum sit, hanc opinionem, quæ penitus infudit, ex animis hominum revellere. Verum ego in hac controversia dijudicanda hoc mihi ante oculos propono, humanis divina quid prætent, cælestia terrenis, æterna caducis. Sit magnum (quando ita multis videtur) consilia Regum nosse: perspecta habere Dei Opt. Max. consilia quantò est magnificentius? Sit præclarum à Rege de rebus maximis ad Cæsarem mitti: à Christo non ad unum aliquem, verum ad omnes homines de re longè maxima, & in qua salus omnium inclusa est, legari, quantò splendidius? Sit suave

locupletari, & honoribus augeri: divinitate donari, & vita perpetua frui, quantò est jucundius? Vehementer errant, meo iudicio, qui tuam dignitatem, propterea quod ad rerum humanarum administrationem adhibearis, augeri putant. Si quis ab excelsō loco in humilem & declivem, atque adeò à cælo in terras delapsus, se ascendisse mihi persuaserit, ego quoque gloriam tuam crescere, dum de ea plurimū decedit confitebor. An non laudabilius esset, te eorum quorum tibi salus à Christo commissa est, curam gerere? de emendandis hominum moribus, de instauranda religione, de placando summo illo numine, dies noctesque cogitare? Præposterè enim faciunt, qui inter summos Principes concordiam stabili-re conantur, priusquam Deum Opt. Max. principibus & cæteris hominibus propitium reddiderint. Nihil succedet: utinam sim falsus vates. Sed ego rerum humanarum prorsus imperitus, hoc audeo affirmare, nihil succedet, aut certè diuturnum non erit, quod neglecta religione, contempta morum disciplina, spreto Deo, de hominum

utilitate transfigetur. Quare si Tarbellis
tuis & exemplo, & oratione, qualiter eos
vivere par est, præires, mea senten-
cia longe firmiora pacis fundamenta
jaceret, magisque operam tuam Rei-
pub. navares, quām cūm apud Cæ-
sarem mandata Regis exponis, & Pa-
tronus meus cūm Vauri officium suum,
bonis omnibus approbantibus faciebat,
plus operæ in communem hominum
utilitatem conferebat, quām si iussu
Regis proficiscatur ^a in Germaniam.
Essē quidem optabile, & quod ad om-
nes Christianos pertineret, revocare
Germanos ad sanitatem : verum mul-
ta sunt, quæ me non solum dubita-
re, sed etiam planè desperare cogunt:
eundum tamen erit, si Rex iuss'erit, ti-
bique in Hispania manendum, quam-
diu is volet: sed ego opto, ut nos
Vauri vivere quietos velit, & te ad

^a Fuit & revera Georgius Selva Regis Gal-
liarum apud Germanos Legatus; extant ejus ad
Germanos orationes duæ, quibus hortatur, ut
cum Ecclesiasticis pacem incant, videnda & De-
siderii Erasmi ad fratres inferioris Germaniæ, & Phri-
xiæ Orientalis, Epistola, in qua, pro ingenii sui
dexteritate, quenam illi esset de diversitate opi-
nionum, quibus exagitatur Respublica Christiana,
sententia aperte explicat.

nos quam primum redire patiatur : te enim id non nelle mihi persuasi. Sin aliter res habet , facies me , si placet , certiorem , ne ego voluntati tuae diutius adverfer , & benevolentia adduc-
tus in odium tuum incurram. Benè vale. Vauri apud aquitanos. Idib. Mart.

EPIST. XXXIX.

IO. FRANCISCO SELVÆ S.

Nisi bene tibi notus esset , ex-
cusarem me de negligentia lite-
rarum , causamque aliquam aut veram ,
aut verisimilem afferrem , quare hu-
manissimis tuis literis provocatus ,
nihil ante hunc diem responderim. Ve-
rūm apud te nihil opus est : accusa me
pigritiæ , quantum voles , statui hoc
crimen ne nutu quidem refellere. Sed
cave , ne propterea quicquam de mea
erga te benevolentia detraictum suspi-
cere : hoc enim gravius accidere nihil
potest. Nam cùm in omnium amicitiis
tuendis constantissimus videri volo ,
tùm verò tui memoriam animo affixam
esse meo , tibi penitus persuasum esse

cupio. Evidem multæ causæ te ut
primum complecterer, impulerunt,
sed illa fuit gravissima, quod sum-
mam ad virtutem indolem in te esse
facile cognovi. Ad hanc indolem,
cum disciplina Christiana ac studium
summum accesserit, tu, uti spero, hoc
tuum sanctissimum institutum semper
conservabis: & ego, quoad vivam,
in hac mea erga te voluntate perma-
nebo. Sed de his satis. Venio ad res
meas, quæ tibi, cum unà vivebamus,
non minori curæ erant, quam mihi.
Negotium illud meum adhuc me sol-
licitum habet: agitur quidem Tho-
losæ per procuratores meos diligenter,
& illi prosperos exitus pollicen-
tur: sed ego non usque prius adversa-
timebo, dum omnia ex animi senten-
tia confecta videro. Iстis molestiis,
quæ me tot annos acerbissimè tor-
quent, semel liberatus, ad veteres
quidem, sed diu intermissas scribendi
exercitationes me referam, majorēmque
mihi tranquillitatem afferre, amicis
omni genere officiorum facilius satis-
facere potero: quæ nunc expectatione
rurum mearum anxius præstare nequeo.

Ut autem hæc incommoda minus sentiam, fratri tuo Lazaro, cùm ^a venatum proficiscitur, me sæpiissimè comitem adjungo. Nos enim, si uescis, post primos illos dies, quibus in aula fuimus, in agrum hunc Villorianum, amœnissimum sanè, libentissimè secessimus, & veluti ex turbulentissima tempestate in tranquillissimum portum consedimus: hîc expectamus, quid tandem constituetur de fratribus tuis in Germaniam profectione: de cuius onere etsi nihil hæc res ad me pertinet, mirificè torqueor, neque quid optare debeam satis scio. Vobis quidem honestissimam legationem, Reipublicæ Christianæ utilissimam videri scio: sed ego non tam initia rerum, quâm eventum mihi ante oculos propono, quæ quanquam dubia sunt, tamen in alteram partem facilius casura mihi videntur. Cum ingeniosis Germanorum configendum erit, qui ut in

^a Interponenda sunt gaudia curis; in Bibliothecam semper abdidit se Bunellus, ad vendendum animi relaxandi causâ quandoque exivit; hinc est quod Epistola 37. gratissimam sibi fuisse Vice-comitis Montis-Clari liberalitatem testatur, magnamque habere gratiam, quod canes mira celeritatis ultrò admisisset.

bello eum quem semel occuparunt locum tutantur : sic quam semel arri- puerunt sententiam , quæcunque ea sit, mordicus & pertinacissimè defendunt. Hūc accedit, quòd ii , qui hæc op- nionum venena in vulgus sparserunt, quorum autoritatem cæteri sequuntur, ut se impiè sensisse intelligant , fateri tamen aliis , quibus imposuerunt , errorem sine vitæ periculo non pos- sunt. Qui ex templorum spoliis pa- trimonia sua auxerunt , an sibi tam optimam prædam è fauibus eripi , imò verò è visceribus evelli sine di- micatione patientur ? Sed tu hæc omnia facile diluis , scribisque Deum non passurum , ut cujusquam privata cupiditas communis utilitatis cursum impeditat. Verùm audi quid ego pro hoc tibi referam : non patietur Deus hunc morbum periculosum & invete- ratum sanari , quandiu vera non ad- hibebuntur remedia. Siccandus est fons , aut obruendus , si velis exhau- tire hæc , quæ totum ferè orbem in- undant , seðarum flumina. Quid si quis est , qui adhuc se scire dissimu- let , unde tantum malorum in nos re-

dundarit, ego digitum ad fontes intendam. nostri corruptissimi mores, summâque negligentia hanc pestem nobis invexerunt. Mutemus ergo in melius quæ depravata sunt: mores nostros ad veteris disciplinæ regulam dirigamus. Hæc ubi facta erunt, id est, præcisâ morbi causâ, non multò post hæc opinionum commenta exarescent. Hæc autem ut fiant, non à Germanis petendum est, sed à nobis ipsis impetrandum. Hoc in potestate sua magna ex parte duo principes habent, & solo prope modum nutu confidere possunt. Res minimè dubia est, & disputatione non eget. extant sanctissimæ leges, & veterum patrum decreta minimè dubia aut obscura: sit sacro sancta ^a illorum inter nos authoritas, quod non verbis & simulatione, sed factis & sincera vivendi ratione assequemur. Hæc vera, hæc certissima, hæc à veteribus illis usurpata sanandæ Reipub. Christianæ ratio, quâ omissa, propterea quod acrior nonnullis esse videbatur, ad remedia

^a Quis putet, hæc legendo, Bunellum certamen suspectæ religionis vocari potuisse; sicut si dubitandum non sit, quid sentiat aliquis cum appareat quid sentierit.

quædam

quædam leviora confugimus, quæ non
secabunt, non urent, dolorem deni-
que mitiorem facient. Sed certè audeo
hoc affirmare, vulnus non sanabunt,
cicatricem fortasse obducent, quæ le-
viter tacta, paulò pòst acerbius recru-
descet. Habis meam de hisce rebus
sententiam, quam ego propterea plu-
ribus ad te scripsi, ut intelligeres, me,
qui res privatas expedire non possum,
de Repub. sollicitum esse, & simul
quoniam in tractatione rerum humana-
rum totus es, volui te habere, in quo
acumen illud ingenii tui exerceres: ac
si non probares quæ à me scripta es-
sent, ut firmioribus argumentis ea re-
felleres. Benè vale.

EPIST. X L.

PETRO * CASTELLANO
Antistiti Matisconensi S.

FACIT humanitas illa tua propè
singularis, qua me præsentem sæ-
piissime comiter amplexus es, quæ

* Petri Castellani vitam descripsit Petrus

etiam in te unā cum autoritate , & fortunarum accessione mihi crevisse videtur , ut absens ad te virum excellenti cruditione , summāque apud Regem gratia , hoc nescio quid literarum exarare minimè verear. Ut enim nihil aliud adferat epistola , meæ tamen erga te observantiæ testis erit. Quanquam ne prorsus inanis sit , decrevi unum abs te petere , quod tu non solum nullo postulante , verum etiam multis reclamantibus , magna cum laude facis : illud scilicet , ne in iuvanda Repub. literaria defatigere. Nactus es liberalissimum Principem , nobis divinitus datum , qui omnes bonas artes superiorum temporum injuria in Gallia penè sepultas , in lucem revocaret : a cuius benignitate incredibili etsi tantum effectum est ,

Galandius , eum unā & Guillelmum Budæum , deambulantes , de quo Literis humanioribus differentes , cùm vidisset aliquando Franciscus I. Galliarum Rex , cui erant in deliciis , dixisse fertur , *habet sua sydera tellus.* Castellani laudes vide Epist. 42.

a Idque potissimum Regios Linguarum Professores in Parisiensi Academia instituēdo. Illorum nomina , unum si excipias , videsis in Epistola Dyonisi Lambini ad Carolum IX. p̄fixa commentariis Horatianis ; nec tantum Regios illos Professores instituit Franciscus I. sed

Quantum optare per paucis , sperare certè nemini in mentem venerat , tamen ea quæ restant sunt ejusmodi , ut sine illis hæc , quæ præclarè instituta sunt , diutius stare non possint. Munienda est arx ista literarum , non solum contra vim præsentem , impetumque barbarorum , quos repellere superstite Francisco Rege non erit difficile. Illud etiam prævidendum , si amissio duce , ab hostiis in oppidum compulsi , fossa & vallo cingemur , ut longæ obsidionis incommoda sustinere possimus. Qui ante nostram hanc ætatem in Gallia regnum obtinuerunt , varias appellationes nacti , diversis quoque laudibus floruerunt. Francisci nomen antea inter Reges inauditum , ad ingenuas disciplinas instaurandas , fatale mihi videtur : ac ne unà cum Francisco Rege , Pa-

Lascari & Budæo Auctòribus Bibliothecam Fontenablæam instruxit. Ejus aulam regiam , quoniam viris Literatis abundabat , non defuere qui Musarum sedem appellarent ; nec ambigendum quin literas tractasset assidue , novissetque egregiè , si ei per otium licuisset. Dignus sanè gloria immortali , qui dum literas amœniores , expulsâ barbarie , in Galiam invexit , disciplinas omnes instauravit , & quasi ab interitu vindicavit.

troni quoque literarum concidant, non
mediocriter pertimesco: nemo enim
illi hoc nomine succedet. Illud meum
augurium non satis firma observatio-
ne nisi fortasse videatur: sed ego timeo
ne nimis verum sit. Itaque esset optimo
principi glriosum, curare ut ea
laus, qua præcipue excellit, diuturna
permaneret: tibi honestum, non solùm
rei præclarissimæ patrocinium suscipe-
re, verùm etiam perficiendæ omnes
occasionses urgere. Multum est posi-
tum in temporibus: sed novi ego pru-
dentiam tuam. Neque verò propterea
hæc scribo, quod te mihi, aut cuiq; iam
mortaliū, qui magis hæc cupiat,
concedere existimem. Sed quemadmo-
dum in curriculo qui spectant, eos,
quibus maximè favent, etiamsi summa
incitatione ferantur, plausu tamen &
acclamationibus adjuvant: ita ego te:
quem rerum pulcherrimarum cupidita-
te ardere certè scio, cùm nihil melius
agere possim, abundantia quadam
amoris ad ea quæ persequeris adipisci-
cenda, magis ac magis inflammo.
Bene vale.

EPIST. XLI.

VIDONI BRÆLEO * S.

JACOBUS Faber tui studiosissimus, & studiorum meorum hoc tempore patronus impulit me, vel potius coëgit, ut nonnihil ad te literatum darem. Qua facti mei defensione properea epistolam prætexui, quod verebar ne simulatque Bunelli cognomen aspexisses, temeritatis & ineptiarum me condemnares. Is igitur Faber quamplurima de excellentissimis virtutibus tuis, de singulari in rebus administrandis prudentia, uberrima omnium bonarum artium scientia, & in earum studiosos summa propensione, cum mihi semper narret, ad te licet absentem observandum & colendum mirabiliter incendebat. Ut verò scripto aliquo tuam benevolentiam elicerem (sic enim loquebatur) ut autem ego interpretor,

* Vidum Bræleum, quem Lutetiæ Parisiorum noverat Longolius, cum primū forum attigit, tanquam in optimum & summæ spei adolescentem laudat in Epistolis, & Rogerio Barmæ, viro eruditissimo, commendat.

ornatissimo viro , maximis & honestissimis occupationibus diſtriicto moleſtus eſſem , nihil omnino cauſæ ſubefte exiſtimabam : vitæ meæ iſtitutum tibi neque omnino improbari dicebat , ego totum hoc partim humanitati tuæ adſcribebam . Cùm ille nihilominus cogere , & interdùm apertius urgeret , quid me , inquam ſcribere jubes ? literas inaneſ , nulla ſubiecta ſententia : hic ille , iſtud iſpum literis conſignato , me epistolam ut exarares vehementer à te contendiffe : te cum aliquandiu repugnaſſes , tandem voluntati meæ ceſſiſſe . Ut jufſit , ita facio . Tu verò doctiſſime Brælee , qui ſummae Jurisdictioni præſides , peccati culpam in authorem conjicio : me autem intér eos , qui egregias animi tui dotes admirantur , & in omni aetu , quām bene de te exiſtiment , oratione teſtificantur , ſi placet , adſcribito . Bene vale .



EPIST. XLII.

JACOBO FABRO * S. D.

EX tuis ad fratres literis facile perspexi, me magna in offensa apud te esse, quod post tuum discessum ne literam quidem. Tu verò de me supplicium pro arbitrio tuo sumito: dum tamen duo hæc tibi persuadeas: primum pigritiâ, cuius crimen effugere vix possum, istud accidisse: deinde, me re ipsa, & omni officiorum genere facilius, quam inanibus epistolis tibi posse satisfacere. **Q**uam enim sententiam literis complecterer? gratiarum actionem? At cum istud à me libenter, studiosèque fieret, totum præcidisti, affirmans te potius accipere, quam dare beneficium. **Q**uoties occurret aliquid, quod te scire, aut tua, aut mea intersit, equidem non prætermittam,

* Iacobus Faber, Petri, de quo Epistolâ sequenti, frater, Abbasque Casæ Dei, Preses fuit in Senatu Tolosano, ac tandem Regi à privatis Consiliis: studiorum suorum patronum vocat Bunnellus in Epistola ad Olivarium, Galliæ Cancellarium.

ut in præsentia evenit Gratulor igitur tibi Ferrerium , singulari integritate , prudentia , eruditione virum , Regis quidem liberalitate , Card. Turnonii summa authoritate , Cæmantii præclaro , verissimique testimonio , tua tamen opera , fide , industria , diligentia , hisce temporibus in senatorium ordinem cooptatum esse . Quantum cuique debeat , ipse viderit : sed ego virtuti ejus omnia accepta fero , neque tam propter dignitatis accessionem , quam propter exemplum mirificè lætor . Hoc cum à me dicitur , omnes qui huic negotio vel interfuerunt , vel præfuerunt , vehementer & verissimè laudari puto . Sed haecenus de Ferrerio . Reliquum est , ut tuis literis ordine respondeam : & primo loco tibi , sicuti debeo , gratias agam , quod negotium illud , quod propinqui mei efflagitatione compulsus , tibi subtimide commendaram , confici curaris . Quod cum per se magnum est , tum verò multò majus , quod autoritatem & operam tuam ad meos , meorumque casus sublevandos , prolixè polliceris . Quæ tua voluntas eò carius à me æstimatur , quod nullis officiis

provocatus, me tuendum susceperis, quò mihi ne imprudenter aliquid abs te postulem, diligentius est providendum. Marliaci beneficio tibi ad ^a Castellani Matisconensis Antistitis amicitiam adiutum patefactum esse, non mediocriter gaudeo. Nam & in omni genere literarum ita excellit, ut ejus consueludine viri principes delectentur: cuius eximiam humanitatem vel ex hoc liquidò cognoscere potes, quò cùm tantum gratia apud Regem valeat, ut fortunis quotidie & honore augeatur, Bunnelli meminerit. Huic, si placet, ex me salutein. Est etiam quòd Marliaco gratias agam, quòd fratrem meum, quemadmodum Ferrerius confirmavit, superiore æstate, tùm propter æquitatem causæ, tùm meo etiam nomine libenter adjuverit. Hoc tu illi nisi molestum est, meis verbis significabis. Quid præterea? nihil, nisi ut incolmis ad nos primo quoque tempore revertare. Bene vale.

^a Epistola 43.

EPITS. XLIII.

PETRO ET JACOBOFABRIS *S.

Si diuturna consuetudo lites alienas cognoscendi & coniponendi , facit ut in vestra causa , litigandi acerbitates minus sentiatis, genus hoc vita laboriosum vobis hoc tempore fructum ferre gaudeo: sicut utriq[ue] vestrum idem usu venit, quod medicis, qui in aliorum morbis curandis exercitati, si quando ipsi ægrotare cœperunt ; maxime omnium perturbantur : ita vos , si controversiis aliorum dirimendis assueti , non tamen sine magno sensu doloris judicio conflittamini , de vestra sollicitudine (ut debeo) vehementer angor. Atque eò magis , quod haud ita pridem istiusmodi turbulentissimis tempestatibus afflictus , aliorum pericula & casus commisereri didici. Neque verò quemadmodum tunc vestra authóritate suble-

* Petrus Faber, Arnaldi filiorum natu major, Vidi Fabri Pibracii, cuius vitam descripsit Carolus Paschalius, pater, fuit Preses in Senatu Tolosano, & Petri Fabri Sanjoriani avunculus. De la cobo vide Epistolam præcedentem.

vatus sum , ita ego nunc nulla re , nisi
propensione voluntatis vobis opitulari
possum : & istuc ipsum , quod à me
jure suscipitur, de vestris molestiis nihil
omnino detrahere potest. Sed quid re-
fert ? ego tamen tantisper gratus &
memor esse mihi videor , dùm pro vo-
bis omnia adversa timeo , dùm vobis
omnia secunda opto , qui ne inopiam ,
graveim studiorum meorum adversariam
metuērem , néve quid majus , quām
quantum à vobis habeo , optare debe-
rem , vestra liberalitate effecisti. Va-
lete , & re fœliciter transacta , hūc
quām primū revertimini. Tholosæ.

EPIST. XLIV.

JOANNI FRANCISCO
SELVÆ S.

VEHEMENTER lator, te malevo-
lorum de me sermonibus non mo-
dò non cessisse , verum etiam constan-
tissimè restisse. Ita enim ad me scripsit
Ferrerius noster cùm à nonnullis op-
pugnarer , te mei nominis propugna-
torum fuisse acerrimum. Evidem plu-

G vi

ris facio testimonium tuum , quām reliquorum calumnias. Itaque valeant qui infer nos dissidium querunt : amicitia nostra , quoniam hac tempestate turbulentissima eversa non est , nullo unquam rerum humanarum motu labefactabitur. Te mihi charissimum fuisse tu ipse testis es : quām sim constans in amicitiis tuendis non ignoras : de tua erga me voluntate & fide post hac dubitare quī possum ? Illud igitur ceteremus , ut ex nostra animorum coniunctione honestissimus aliquis fructus efflorescat. Quod nulla certiore ratione assequemur , quā si tu literis tuis me ad ^a patris olim . mei , ego te meis vicissim ad fratris demortui imitationem cohorter & excitem. Bene vale.

^a Patrem vocat Georgium Selvam , Episcopum Vlaurensem , apud quem tūm Venetiis , tūm Vau-
si , sat diū vixerat ; pater idēo erat , uti & p^ronus.

EPIST XLV.

LAZARO BAYFIO S.

QUONIAM quidem Venetiis studiorum meorum fundamenta liberalitate tua jacta sunt, equidem facilè mihi persuadeo, te interdum de Bunello, id est, de maximis beneficiis tuis cogitare. Itaque vixum est mihi, qui sit hoc tempore rerum mearum status, his literis tibi homini occupatissimo breviter significare. Ego in morte Vaurenſis Antistitis patroni mei tam sæva tempestate jactatus sum, ut omnium quæ mihi erant charissima, jactura facta, non in tranquillum aliquem portum invectus, sed ad extremum nave afflicta naufragus in littus scopulosum ejectus sim. Nunc verò non reficere navim, & hujusmodi pericula & incommoda iterum experiri, sed animum meum paupertatis patientia armare constitui. Hoc nullum recitus remedium contra malas cupiditates inveniri potest. Satius esse duco,

agillum in continenti colere , & ex eo
parva quidem , sed certa vestigalia per-
cipere , quam ob parandas opes & divi-
tias , ingentes ventorum & procellarum
ancipites casus quotidie subire. Habes
consilium meum : quod si tibi proba-
bitur , uti eo poteris cum voles : sin
displacebit , mihi tamen ignoscas. Bene
vale.

Qui has tibi reddet, vir probus est, &
bene doctus , mihique amicissimus :
habet isthic nonnihil negotii , quod
quale sit , ab eo , si placet , intelliges:
atque ad id explicandum , authorita-
te tua , quantum poteris , non solum
propter aequitatem causæ , sed mea
etiam causa libentius adjuvabis. Hoc
te vehementer rogo.

EPIST. XLVI.

ÆMARIO RANCONETO S.

ET tu à me petieras , & ego tibi
sponderam , fore simulatque
Vauri consedissem , ut saepius ad te li-
teras darem : sed quæ sunt consecuta

vides. Itaque superioris temporis excusationem nullam affero, quod fuit ejusmodi, ut ab amicis consolationem potius expectare, quam ad eos epistolas scribere potuerim. Sed neque in præsentia quicquam literis dignum occurrit: in rebus meis nihil est novi: studiorum nullam certam rationem inire possum, mihiique idem usu venit, quod iis, qui turbulentissima tempestate diutius jaetati, postquam terram attigerunt, adhuc tamen in mari esse, & procellis agitari se falsò putant. Sic ego acerbissima morte ^a patroni mei, aliisque malis adeò superioribus mensibus afflictus sum, ut quanvis jam evaserim, & ea quibus premebar conquieverunt, simulachra tamen in animo meo tantæ calamitatis resideant, quæ me planè respirare non sinunt: sed ex quoque ægritudinis reliquiæ die ipsa consenescunt, brevique, uti spero, penitus extinguentur. Recuperata animi tranquillitate mihi in animo est, in desertissimam solitudinem secedere, ibique cum libris meis, & uno fortasse studiorum socio annos.

aliquot soluto & vacuo animo Neptunum procul à terra spectare furentem. Quod meum consilium rei familiaris angustiæ impedire posse viderentur, nisi Fabri huic malo liberalitate sua mederi se velle confirmarent. Quod si res ex sententia succedent, equidem neque Regibus potentiam & voluptates, neque Ducibus victorias & triumphos, neque fœnecatoribus divitias, neque tibi & Montauro a nostro Reipub. gerendæ laudem invidebo. Bene vale.

a Petrus Montaureus insignis fuit Mathematicus, Philosophiæ Aristotelicæ vindicem acerrimus; & qui, teste Michaële Hospitalio, Galliæ Cancellario,

*Totus fuit aureus intus,
Aureus ingenio, doctrinâ, moribus aureis.*

EPIST. XLVII.
ODETO SELVÆ * S.

DE memoria fratris tui ab obli-
vione hominum vindicanda quæ

* Odetus Selva frater erat Georgii, Vaurensis Episcopi, & Ioannis Francisci; aliis dicitur Odetus Ambrosius Selva.

scripsisti , eadem quoque mihi in men-
tem venerant : & certè recenti adhuc
vulnere ad nonnihil simile aggressus
essem , nisi quædam peites hominum ,
dùm mortem viri optimi , mihi que
charissimi deplorare conor , meipsum
meæ vitæ potius timere coegerent .
Postquam verò die ipsa dolore mitiga-
to , unā quoque ille veluti scribendi
calor aliquantum refrixit , cæpi rem
omnem nūcum attentius perpendere :
cogitavi fieri posse , ut multi consilium
illud meum pessimè interpretarentur ,
meique nominis illustrandi potius ,
quām memoriarum patroni celebrandæ
quæsitam occasionem dicerent . Alii
quibus operis argūmentum non ita dis-
pliceret , genus scriptorum meorum
valde contemnerent , atque ut vir ille
propter eximias virtutes pingi , fingi-
que dignus fuerit , me tamen neque
Apellem , neque Lysippum esse jure
contenderent : quorum alterum sup-
presso authoris nomine vitari facile
posset , alterum si vestro jussu , quo-
rum rem quām diutissimè manere ma-
ximè interest , id totum susciperetur .
Quod si ea facultate , quam in me

existimatis esse , vos contenti estis , quid attinet in hac re meam voluntatem exquirere , quæ tibi præsertim neque dubia , neque obscura esse potest ? Et quidem in presentia ea mihi studiorum ratio instituta est , ut veterum scripta legenti , nova non admodum scribere vacet aut libeat . Sed neque in istiusmodi rebus magnopere festinandum censeo , & cum animum meum diuturna lectione explevero , tum demum (uti spero) omnes meos impetus ad scriptionem convertam . Hoc interim spacio valde cuperem ea quæ ille partim de ^a Græco in nostrum sermonem jussu Principis converterat , partim sua sponte ad Religionem Christianam pertinentia scribere instituerat , à vobis diligenter asservari . Etsi enim perpolita non sunt , ea tamen si vestro beneficio aliquando in manus hominum pervenient , Georgium Selvam non solum vixisse sed optimum sapientissimum . que Antistitem fuisse posteris testabuntur . Hac ratione facillimè poterunt refelli malevolorum calumniæ , ^b quæ ut

^a Georgius Selva .

^b In suspicionem Lutheranismi inciderat .

prorsus inanes sunt, ita omnino indignæ, quibus aliquid respondeatur. Fratrem tuum nemo bonus & prudens novit unquam familiariter, qui non illius similis esse optaverit. Horum ingenia & mores qui bene perspexerit, nisi stultissimus, aut improbus, imitari cupiet nemo. Bene vale. Tholosæ prid. Calend. Januar m. d. XLII.

Joannem Franciscum fratrem tuum literis meis provocatum, nihil rescripsisse demiror, cui, si placet, ex me salutem.

E P I S T. X L V I I I.

P E T R O * D A N E S I O S.

NUPER cùm Ferrerius communis amicus in aulam proficisciatur, cupiebam quidem ei nonnihil

* Petrus Danesius, Parisiensis, literis hebraicis græcis latinisque instructissimus, Franciscum Cardinalem Turnonium Mœcenatem habuit; à Lectore Regio sub Francisco I in Vaurensem Antistitem sub Henrico II evasit, & in Concilio Tridentino mira virtutis specimina edidit. Vir eximiæ probitatis, doctrinæ singularis & summæ pietatis, cui moris erat in hæc verba divi Pauli bis aut ter quotidiè erumpere, non quæ super terram. Sunt quidam Ioannis Stephani Duranti

literatum ad te dare , quò de me erga
te voluntate , ac potius obſervantia ni-
hil aut immutatum aut imminutum
temporis ſpatio eſſe cognosceres : ſed
ita recentibus moleſtiis undique ur-
gebar , ita magnitudine doloris , quem
ex morte Georgii Selvæ patroni noſ-
tri incredibilem cæperam , animus
meus æſtuabat , ut neque ad ſcriben-
dum neque verò ad cogitandum poſ-
ſet ullo pacto confiſtere. Angebar , mi
Danesi , eruptum nobis cum Antifti-
tem eſſe , in quo veterum patrum ſan-
titatem illam minimè fucatam facile
poſſes recognoscere : & eo tempore e-
reptum , quo Respub. Christiana
maximè laborat ex talium virorum
inopia. Deplorabam non meam ſolū ,
ſed Christianorum omnium calamita-
tem : veniebat in mentem , quām mul-
tos vir ille , ſi diutius in vita manfi-
ſet , exemplo ſuo ad religionis Chris-
tianæ labentis & inclinatæ ruinas ful-
ciendas allicere potuiffet. Extinctum
integerrima ætate , vix dum bene

olim Senatūs Tolosani Principis , famæ invidi ,
qui Danesium eruditissimi tractatus *de Ritibus Ec-
clesiæ Catholice* , Authorem eſſe dixerint.

jaētis fundamentis ædificii, quod planè divinum in animis hominum excitare cogitabat. Quid queris? Valde sub ipsum obitum perturbatus eram, contabuissimque angoribus, nisi mentem meam sensim à rebus tristissimis abducens, consolationes, quibus hanc ægritudinem mihi adimerem, aut certè minuerem, undique collegissem. Evidem cùm de meo erga illum officio quærerem, reperiebam, omnia, quæ à mei ordinis homine profici potuerunt officia, me ei constanter, & optima fide præstisset. Amavi illum ardentissimè, colui diligentissimè, nulla præmiorum spe proposita. Cùm enim viderem cum nihil sua sponte, sed Christianorum causa agere, non jam quid mè interesset, sed quid ille vellet, in omnibus spectabam. Nihil tamen humile, nihil tam abjectum, nihil tam studiis meis contrarium, quod ego non eo petente libenter suscepserim, simulatque eum ad res divinas accerrimè contemplandas evolare, neque solum divitias & honores contemnere, sed parum etiam valetudini parcere animadverti. Quid præterinisi,

quò eum à nimia illa animi contentione revocarem ? Quoties illud usurpavi , curandum esse , ut quæ libenter , ea etiam diutius faceret ? Egi interdum liberius , & eam quam nunc video rerum commutationem , & penè genus ipsum mortis prædixi. Cùm enim corpus , meo judicio , neque fatis ali , neque exerceri , animum autem ad cælestium rerum cogitationem continenter sevocari animadverterem , non fuit difficile colligere , hoc diuturnum esse non posse. Qui aliò morbi & mortis causam conferunt , cùmque , quòd res nonnullæ ad voluntatem non fluarent , mœstiorem fuisse , atque ea remorbum adauctum prædicant : ii vel ex sua natura virum , omnium quos unquam videtim , prudentissimum , & ad humana omnia ferenda constantissimum fingunt , vel ab imperitis & levissimis , ne quid gravius dicam , hominibus decepti , quibus minimè oportuit , vehementius irascuntur. Scio doctissime Danesi , brevitate & subtilitate epistolarum te magnopere delectari : sed quoniam aliò cursum meum dirigentem nescio quis æstus animi in

hunc sermonem me abripuit, da mihi hoc, ut bene longam, & proflus inclegantem epistolam ^a perlegas: spero enim, cùm meam causam tibi probavero, fore, ut multi, quos adeò aversos à me esse non vellem, auctoritate & oratione tua commotí mitigentur. Nam alios, qui propterea hæc in me conferunt, quòd eorum intemperantiam repressi, nihil moror. Qui quām stulti sint, vel ex hoc ipso intelligi potest, quòd dum me imprudentiæ insimulant, ad quam omnium criminum, quæ ab eis configuntur, summa referatur necesse est, seipso perdite flagitioséque vixisse confitentur. Sed ego imprudenter in hac parte nihil egi: illi certè improbi fuerunt. Quibus diebus Vaurensis Antistes febrem non habebat, ego ad eum, quoniam ita jussérat, sæpius accedebam. Ille statim de rebus divinis, de bene beatéque vivendo aliquid. Querebatur interdum, quòd morbo impeditus, omnibus quæ gerebantur interesse non posset: scire se ob eam cau-

^a Non Epistolam, sed volumen, ut ait in Epistola ad Arnoldum Ferrerium.

sam & domi , & apud alios geri ma-
jore licentia quamplurima , ad quæ
meam & aliorum operam deposceret.
Hic ego , cùm eum res serias , &
quæ atram bilem augere possent, in præ-
fentia ut omitteret peterem supplex :
ille in hanc sententiam libentissimè
disserebat , nunquam se jucundius ,
quàm cùm suum officium faceret, vi-
vere , id sibi antiquissimum esse. Ne-
que verò se perturbari aut angi , si eos ,
quibus præcesset , tardius ingredi in tec-
tam vivendi rationem intelligeret : nun-
quam id suscepisse , ut animis homi-
num vim adferret : suam culpam non
aliam præstare velle. Ne de superio-
re loco hortaretur ad pietatem suos ,
se quidem morbo impediri : ne ea ,
quæ ad sanandos eorum animos perti-
nerent , procuraret , ne morte quidem
proposita revocari debere , aut posse.
Quare velle ab aliis exquirere , quæ
per se nosse non posset : non quò es-
set in quemquam durior , verùm ut om-
nia remediorum genera experiretur hu-
jusmodi cogitationibus , quòd essent
suavissimæ , non augeri bilem atram ,
sed minui. Hæc oratio delicatis ho-
minibus ,

minibus, qui libenter, nihil, agunt nihil curant vix probabitur : tibi, qui in gravioribus studiis magnam partem ætatis consumpsisti, non usquequaque discipcebit. Rem enim, nisi fallor, probabis; modum adhibitum esse cuperes : in qua sententia, ita me Deus amet, semper fui. Verum age perpendamus istud mihi Daresi, Neminem mortalium ad eum gradum sapientiae pervenisse, ut in omnibus actionibus mediocritatem, tanquam lineam, nunquam transiliat. Alii in honoribus petendis nimis ambitioniosi sunt : alii avaritia inflammati, ad parandas quavis ratione dvitias præcipites feruntur : alii voluptatibus undique conquirendis nimium student. Sed omittamus hæc, quæ libero homine vix sunt digna. Tu, ut per optimas disciplinas longius progredere, nunquam diutius, quam valetudo, aut etiam rei familiaris ratio postulabat, affixus libris fuisti. Quod si ita est ingenium hominum, ut in alteram partem semper propendeat, ^a Georgio Selvæ, dum omni virtutum genere

^a Georgius de Selva, aliis *Selvas* sive *Selveus*, filius Joannis, in Senatu Parisino Præsidis, qui

atimum exornare conatur, si corporis interdum oblitus est, non ignoscemus? Utinam quam plurimi in hanc partem peccent: non quod negem mediocritatem in omnibus optimam, sed ut sunt tempora, utinam quamplurimi in hanc partem peccent: neque enim istiusmodi homines ad ipsum modum revocare esset difficile. Nunc multi in contrariam potius partem ruerint, hanc excusationem prætexentes, quod audierint hunc virum, dum se non respicit, in ipso ætatis flore con-

scripsit de Beneficiis, notus satis in Gallia & Germania. [Utar verbis eruditissimi viri contemporanei.] Sapere enim de pace & sedere inter Carolum V & Franciscum I egit. Senilis in ineunte ejus aetate prudentia, in omni genere literarum latinarum, graecarum, hebrearum politissimus, & in quo apud suos nihil quod optimi fuerit Episcopi, desiderans. Nec tantum in Gallia & Germania notus, fuit & in Italia notissimus; prius enim quam ad Cæsarem Legatus mitteretur, eodem munere ad Republicam Venetam, & ad Romanum Pontificem, non sine sui nominis honore, defunctus erat. Francisci autem Regis ius-
tu è græco Plutarchi in gallicam linguam trans-
latis Vitas Camilli, Fabii Maximi, Pauli Ämi-
lli, Coriolani, Periclis, Alcibiadis, Themistocles
& Timoleontis. Plura alia gallice scripsit, vitaque
decessit in florenti adhuc utare, summo cum om-
nium, non solum suorum civium, verum etiam
exterorum, laeti & dolore, authoritatis, pru-
dentiae, sanctitatisque sua desiderium relinquens
omnibus.

cidisse. Verum neque illi voluptatibus
consecrandis mortem effugient, ne-
que fortasse ad extremam senec-
tutem pervenient: pacatiore qui-
dem certè, & majore animo nequa-
quam morientur. Sed redeo ad id,
quod cœperam dicere. Præbuit mihi
solatum, quod culpa vacarem: ve-
rū & illud ante oculos mihi propo-
sui, hunc Pontificem innocentissimè
vixisse, ad Deum Opt. Max. omne o-
tium, negotium, actiones, cogitatio-
nes denique retulisse. Itaque illum
Deo curæ fuisse, qui ne passerculos
quidem temerè interire sinit, nedum
Antistitem, in res sanctas toto pecto-
re incumbentem: quod nos homin-
culi accidisse fortuitò quereremur, di-
vino gestum esse consilio. Observasse
etiam illud mihi videor, eos, qui quām
celerrimè maturitatem assecuti sunt,
rarò ad summam vivere senectutem.
Quid enim homini proœcta ætas ad-
ferre queat, præter moderationem,
prudentiam rerum maximarum usum
& scientiam, quæ in hoc viro tanta
fuerunt, ut primum Senatus Venetus,
deinde Rom. Pontifex, ad extremum

Cæsar, ad quos omnes eum Rex de rebus maximis legaverat, ejus excellen-
tem virtutem, maximum rerum hu-
manarum usum, summamque in eis ad-
ministrandis prudentiam sint admirati.
Completerer hoc loco ejus laudes,
nisi tibi notæ essent, & magna ex par-
te à te fluxissent, qui moribus optimis &
liberalibus disciplinis eum à puero ita
instituisti, ut quæ restabant, facilia
illi reliqueris. Sed certè cùm animus
mortaliū infinitas res capere non pos-
sit, fit mihi verisimile interdum, eum
qui tam multa supra ætatem adeptus
esset, majora aut plura sustinere non
potuisse. Usus sum præterea illo verissi-
mo & cerissimo genere consolationis,
præclarè cum illis agi, qui quo tempore
rerum divinarum desiderio maximo tan-
guntur, illicò jubentur è vita discedere.
Interesse nostra fortasse, ut diutius in
terris morarentur: sed qui nos illorum
mores imitari cùm possemus, nolui-
mus, indignos talium virorum consue-
tudine ita plecti, ut probitatem, quam
præsentem & oblatam contempsimus,
candem absentem & sublatam ex oculis
re quiramus. Unum restabat, quod expli-

care non poteram, eum juvenem interiisse, cùm Respub. Christiana maximè illius auxiliū & consilium implorare videretur: verùm hanc questionem maje-
re alia disputatione dilui. **Quis** enim
non jure miretur Christum, nostræ sa-
lutis authorem, cùm messem expecta-
re posset, vix dum semente facta re-
ligionis Christianæ, contumeliosè in
crucem actum esse? Istis rationibus
adductus, paulùm quidem respiravi,
intellexique, sceleratè impièque nos
facere, qui propterea quòd rerum
causas non intelligamus, acta Dei Opt.
Max. quodammodo rescindere veli-
mus, ejusque decretis æquissimis sum-
ma temeritate resistamus. Posthac igi-
tur tanti viri mortem, qua nihil mihi
in vita contigit acerbius, feram forti-
ter, animùmque ab angoribus adlitera-
rum studia traducam: quæ, dum alien-
næ potius, quam meæ voluntatis ratio-
nem habeas majore, quam par erat, spa-
tio intermissa esse, nunc demum magno
meo malo sentio, & tu ex hujus epistolæ
lectione, vel me tacente, facile judi-
cabis. Evidem initio quòd scirem,
quam tibi placet brevitas, & quam

decere epistolam , paucis tecum agere
decreveram : sed inter scribendum cō-
plexus sum plura : primum , quod te
bene de me existimare volo : deinde ,
cūm rem omnem cognovisses , fieri
posse speravi , ut eos qui in me du-
riores sunt , pro tua in me benevo-
lentia flecteres & lenires : quibus enim
ex animo semper favi , quorum fami-
liam verissimis laudibus illustrari volui ,
eos iratos minimè habere vellem . Quod
si pergent recte factis magnam pœnam
constituere , feram ut potero , consolabi-
turque sic hoc unum , quod Georgio
Selvæ Vaurenſi Antistiti , patrono meo ,
ad supremum usque vitæ diem satisfe-
cerim , quo ii , quibus institutum meum
tantopere improbatur , neque pruden-
tiores sunt , neque viri certè meliores .
Benè vale , & me , si placet , ama .
Tholosæ 14. Calend. Sextil. M. D. L X I.

EPIST. XLI.


ODETO AMBROSIO SELVÆ S.

DE libris fratri tui ita satis factum est
justissimo desiderio tuo , ut ne-

mo tamen queri possit, quicquam hæ-
redibus ademptum esse. Prudenter mea
quidem sententia, & quemadmodum
oportuit, administrata sunt omnia: ni-
si forte in eo lapsi sumus, quod ar-
cæ tuæ nimium pepercimus. Nam in
auctiōne licitatoribus multis clam ad-
monitis, & tuo nomine deterritis, fac-
tum est fortasse, ut omnia aliquanto
minoris vænierint. Quod si ita esse ra-
tionibus subductis comperies, facilli-
mè hoc damnum tua liberalitate sar-
cies. Illud quidem animaduertisse mi-
hi videor, bonarum artium studiosos
omnes eò libentius tuæ voluntati mo-
rem gessisse, quod cum de cæteris tuis
virtutibus, tum de animi candore mul-
ta nobis prædicari audiverint. Confir-
mavi enim illis, te hunc thesaurum
librorum non magis tibi, quam bo-
nis omnibus emere, libenterque di-
vitias istas ob sublevandam literotorum
inopiam profusurum. Sed de his hac-
tenus. Quod attinet ad negotium illud,
cujus tu in posterioribus literis me-
ministi, ego Mezentio rem omnem
exposui, qui longè melius coram, quam
ipse literis complecti possem. Ab eo i-

gitur omnia. De fratre tuo , quoniam ita jubes , ad quem res maximè pertinet , & Salomonium , cuius ego judicium plurimi facio , hoc non solùm expectare , verum etiam flagitare dicis , conabor aliquid conscribere : atque utinam voluntati animoque meo facultas respondeat. Sed , amabo , priusquam ad istud opus aggrediar , sine ut legendis veterum monimentis quasi sítim expleam. Interea dabo operam , quemadmodum sapienter mones , ne acumen styli ita retundatur , ut exacui cùm res postulabit , facilè nequeat. Bene vale. Datæ Tolosæ 7. Calendæ Maii a M. D. xxxi.

^a Legendum dubio procul m. d. x l. 1. quipe pè Georgius Selva vitam cum morte commutavit , anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo , ut patet ex epistola præcedenti , eodem anno Petro Danesio scripta. In similem errorem incidit Crucimanius , dùm asserit in sua Bibliotheca , Vaurensem Antistitem anno 1529. fato functum esse..



EPIST. L.

JACOBO FABRO S.

APUD homines gratos merita nostra
beneficiorum veterum memoriam non expellunt: fructus tamen quem
ex liberalitate tua hoc tempore percipio, tantus est, ut innumerabilia be-
nefacta, quæ ab amplissimis viris in
me profecta sunt, longè minora esse
videantur. Neque verò propterea hoc
accidit, quod aliorum præterierint,
tua munera sint præsentia: à me sa-
nè utraque non perturbatione aliqua
animi, sed majore quadam ratione pon-
derantur. Nam ut cæteri voluntatis er-
ga me propensione, & rerum magni-
tudine tibi non concedant, hoc certè
in tua benignitate præcipuum est,
quod me in summa tranquillitate con-
stituit, dies noctesque sine ulla inter-
pellatione in studiis literarum versari
patitur, non me diutius invitum cer-
to in loco retinet, non eò quod mini-
mè velle, proficiisci jubet, non avocat à
libris: quam querelam habuit supe-

H v

riorum beneficentia. Hæc quæ per se magna sunt, alio insuper cumulo augmentur: fratrum tuorum summa erga me benevolentia, quæ mihi omnibus in rebus ad me, meosque pertinentibus, adeò prompta & parata est, ut non familiæ vestræ cliens, sed penè quartus Faber, & ^a frater existimari queam. Omnia enim mihi vobiscum quodanmodo sunt communia, præter Reipub. gerendæ molestias, quas tantum abest ut vobis in videam, ut hoc nomine fælicior propemodum mihi videar, quam vos ipsos meæ fælicitatis authores. Quod ita esse tu facillimè judicabis, si vere ineunte negotiis exolutus ad nos revertere. Duo interea mihi diligenter providenda sunt: unum, ne ego minus gratus & memor sim in habenda gratia, quam tu in largiendo fueris liberalis: alterum ne hoc liberum & vacuum tempus sine fructu effluat, ne ego præ otio inersuisse judicer, tu verò tua bona profudisse & perdidisse videare. Benè vale.

^a Quia omnibus studiis & beneficiis eum complebantur, ex Epistola 52.

EPIST. LI.

ODETO SELVÆ S.

PAUCIS diebus antequam literæ tuæ humanissimæ mihi redderentur, scripsoram ad Ferrerium epistolam, cuius exemplum quoniam ad te missum existimo, non repetam hinc, quæ ne semel quidem à me sine summo dolore scribi, neque fortasse à te sine aliqua molestia legi potuerunt. Illud potius dicam: nihil gratius nihil suavius, nihil jucundius literis tuis: metum enim omnem, in quo eram, & quo, ne antea ad te scripserim, prohibitus sum, mihi ademerunt. Bene habet, quod tuum de mea erga te voluntate judicium retines, parémque ac mutuam propensionem animi polliceris. In qua parte, meritorum quidem magnitudine longè superior esse potes, amore & benevolentia me vincere nunquam potes: quam ego tibi, cæterisque omnibus quocunque potero officiorum genere declarabo. Nam quod primo loco ponebas, te adductum, quod sci-

H vj

res me fratri tuo fuisse charissimum: vi-
rum illum, quoad vixit, propter eximias
ejus virtutes tanti ego feci quanti mor-
talium prorsus neminem: méque ab-
eo diligi, nullo tamen merito meo cre-
didi: neque in hoc me deceptum puto.
Ejus mortem gravius tuli, diutius lu-
xi, quam patris aut matris, omnium
que qui mihi unquam fuere charissi-
mi: illius memoria mihi in visceribus
hæret, quam ego quotidie renovo,
non solum ut de amore nihil detra-
hatur, sed ut illius exemplo ad virtu-
tum quidem omnium, sed imprimis
Christianæ religionis studium magis
incendar. Quod quidem, Deo adju-
vante, si affequar, tum id, quod de
virtutibus meis amicè in literis tuis ad-
debas, verè aliqua ex parte poterit
scribi. Interea non solum laudem ali-
quam mihi tribui non postulo, verum
etiam summam vituperationem valde
pertimesco. Si enim, cum ducem ha-
bebam, per curriculum pietatis tam
lente procedebam: nunc cum nemini
video, qui præcat, qui vocet,
qui excitet, tam multi revocent, de-
terreant, detrahant: quid futurum sit,

id est, in quam partem animus meus se patietur impelli, non satis scio. Neque enim divino solùm præsidio, quod nobis volentibus & pertentibus præsto semper est, sed summa etiam constan-
tia, incredibilique animi robore opus est, ut tot tantasque difficultates, ve-
luti moles oppositas, fortiter perfringamus & obteramus. Verum hæc in præ-
sentia nūni's multa: posthac autem sæ-
pius ad te, & diligentius, si intellexe-
ro, meam in hoc genere diligentiam
tibi non displicere. Bene vale. Tho-
losæ Idib. August. M. D. X L L.

EPIST. LII.

JOANNI BERTRANDO
æquissimo Præsidij * Salu.

SCRIPT ad me nuper Claudius Phorcrisius, id quod antea de nonnullis acceperam, se domi tuæ non so-

* Haud dubiè ille est Ioannes Bertrandus, qui Cardinalatū purpuram sub Paulo IV meruit, quique Præses fuerat, tūm in Tolosano, tūm in Parisino Senatu; alter à Ioanne Bertrando cognomine Caturgeo, qui & Tolosanus Præses fues-

lum in literis vivere, verum etiam singulari tua humanitate & liberalitate foveri. Magnum sanè hoc ego duco, quod placuit tibi, qui turpi secessus honestum. Lectis igitur illius literis, cogitavi statim, quibus verbis tibi gratias agerem: nam cùm tanquam me alterum animem, beneficia, quæ in illum conferuntur, quodammodo redundare necesse est. Neque vero hoc fortuitum, sed planè divinum, ut cùm arctissima sit inter te & Fabros amoris necessitudo, eodem tempore quo illi me tanquam quartum fratrem omnibus studiis & beneficiis complectuntur, tu Phorcrisium omnibus amicitiae vinculis mihi astrictum diligere & tueri cæperis. Agam igitur gratias non fortunæ, sed Deo Opt. Max. qui te in hanc mentem impulit, tibi quoque, qui vetera tua erga me merita, quæ quidem ego oblivisci non possum, hac recenti accessione cumulare volueris. Adscriber-

rat: hic etenim V. Idūs Maii, anno 1527, tantummodo ex Nicolao & Antonia Jordania natus; scripsit autem *Biniomicon*, sive de vitis Jurisperitorum; falluntur qui librum hunc adscribunt Nicolao Bertrando, qui fabulosissimum librum *de gestis Telosangorum* edidit.

rem hic nonnulla de eruditione Phorcrisii , de modestia , de rerum humana-
narum usu: sed tu hæc omnia ex aliquot
mensium consuetudine aliqua ex parte
facilè perspicere potuisti : & ego de
hominis mihi amicissimi virtutibus lo-
quens , vereor ne summam benevo-
lentiam potius declarare , quām reli-
giosè testimonium dicere videar , Non
dubitans tamen hoc tibi confirmo , te
non solum in literis , sed in omni vi-
tæ ratione ubiores in dies ex eo fruc-
tus esse percepturum. Bene vale.

EPIST. LIII.

ARNOLDO FERRERIO * S.

SCRIPTI ad Danesium , hortatu-
atque adeò periculo tuo , non epis-
tolam , sed volumen : si qua erunt ,

* Arnoldus Ferrerius in Tolosana & Valentina apud Delphinates Academia jus docuit ; exinde in Senatu Parisino Praeses , & supplicum libellorum Magister , duplicitis legationis munere , tūm in Concilio Tridentino , tūm apud Venetos , pro Galliarum Rege perhonorisfīcē functus est. Cardinalis Turnonii summa autoritate , Iacobi Fabri tamen operā & diligentia , eum in Senatorium ordinem cooptatum fuisse constat ex Epistola 42.

quæ ejus limato judicio minus satis-
facient (ut necesse est esse quamplu-
rima) tu culpam temeritatis meæ mag-
na ex parte sustinebis, Evidem non
laboravi , ut disertus essem , quod cùm
antea semper , tūm hoc tempore inter-
missis jamdiu scribendi exercitationi-
bus esset longè difficillimum : illud
potius spectavi , ut falsas nonnullo-
rum criminationes refellerem , quæ
quoniam multorum vocibus & literis
ad me perferuntur , quid est , quod ta-
ceam aut dissimulem ? Duo sunt ho-
minum genera , quos mihi succensere
minimè miror , & non ita molestè fe-
ro: unum est eorum , qui Vaurensem
Antistitem Vaurum secedere molestè
ferebant : quod perinde est , atque si
ducem exercitus in castra venire , in
acie versari , cum hoste , si res ferat ,
configere nunquam patiare. Verū
ii , quoniam rerum humanarum splen-
dore capti , serpunt huīi , neque in
cælum suspicere queunt , ferendi sunt,
etsi incursabit aliquando in nos eorum

in eo habuit Tolosa , quo se jactaret alumnum ,
& Cujacius præceptorē , cui deberet omnēm
suā eruditōnē.

dolor , non sunt asperius repellendi. Oppresi sunt opinionibus , magnos sequuntur duces , ut jam quod exemplo multorum faciant , jure quodammodo facere videantur. Sed interim quid mihi vitio-vertant , satis intelligere non possum. Geogius Selva Vaurensis Antistes religionem Christianam suis , & suorum commodis divina, humanis , æterna caducis prætulit. Quid ad me ? si hoc mihi tribuant , rerum pulcherimorum authorem me laudant : quod ego neque agnosco , nque sanè mihi tribui postulo. Si verò ita sentientes , aliud tamen objiciunt , quò me in invidiam adducant , non satis candidè mecum agunt : neque tam sponte sua , quam aliorum impulsu id eos facere existimo. Sunt enim nonnulli , à quibus ista manant , qui ad secundum distributionis meæ genus pertinent , quorum ego rationibus cum unà vivebamus , optimè quidem consultum semper volui : sed quia jussu patroni illorum cupiditatibus adversabar , odisse me pessimè nunquam destiterunt : horum ego testimonium : quoniam nullius ponderis est , refellere non conf-

titui, neque scelera & flagitia acerbius
insectari. Ergo & illos priores mini-
mè miror, & istos facile contemno.
Restant duo fratres, à quibus me
amari semper & volui, & credidi,
quos propter levissimos rumores adeò
immutatos esse molestè fero. Nihil
actum, nihil à me cogitatum, cuius
ambo non fuerint consciī: qui fratribus
institutum etiam, cum rei familiaris
jactura conjunctum, laudare & admirari
semper mihi visi sunt. Erant non-
nulla severiora, sed ea ne mihi qui-
dem probantur, quæ à me initium
non duxisse, sed ab alio, cuius ego mo-
res & eruditioē magis, quam judi-
cium laudabam, præclarè sciunt. Ab
eodem fonte manavit contemplandi
ratio, ad quam me non ascendisse fa-
teor. Ea ut mentem viri optimi rerum
divinarum desiderio inflammat, ita
corpori valde nocuit, quod postea fa-
cile intellectum est ex genere mortis.
Si mihi fidem non habent, percontem-
tur à viris probis & doctis, qui sine
ulla animi perturbatione de rebus in-
corruptè judicant, quemadmodum
ego in omnibus me gesserim. Hæc ego

propterea apertius scribo, mi Ferreri, ut cum utroque, si fieri potest, agas: & hanc epistolam, quæ pro me loquitur, eis legas. Quanquam enim conscientia fretus, facile possum hujusmodi calumnias contemnere: tamen eos, quos certo judicio complexus sum, & ut ab eis diligenter, omni ratione providi, sine causa ab alienari à me non velle. Valde sunt in me, quod facile intellexerim, quorundam artibus & mendaciis incitati: quo factum est, ut ad eos nihil literarum dare ausus sim, sed Danesium, & te potius allegarium, per quos facilius negotium omne administrari, eisque ad æquitatem revocari facile posse credidi. Sed de his haec tenus. Consilium meum hic manendi tibi probari lator, ex quo ego majorem in dies voluptatem capio. Quanquam enim postulare videbatur fortunarum mearum tenuitas, ut longè mihi in posterum prospicerem, tamen ut verum fatear, ego mei dissimilis esse non possum. Post Deum, in studiis literarum mihi sunt omnia, quæ etiam dabo operam, ut ad eum ipsum referantur. Dices hominem eges-

tate oppressum, præclari nihil efficere posse: Verum id quidem est: sed ego cùm parvo contentus sim, nunquam existimavi id mihi deesse posse: quæ spes adhuc me fecellit. Post Patroni mei obitum, cùm in maximas angustias conjectus viderer, ecce tibi accur-
runt tres Fabri, ^a qui architectos se fortunæ pollicentur fore. Utar igitur, quoniam illis ita placet, in præsentia hoc perfugio: postea, ne eorum liberalitate abuti videamur, aliquid exco-
gitabimus. Vale. Tholosæ.

^a Ad Fabrorum nomen alludit.

EPIST. LIV.

FRANCISCO OLIVARIO
*Galliarum Cancellario * S.*

RESTITI multum diuque vir amplissimè, cùm Jacobus Faber tui observantissimus, magnopere mihi

* Nemo adeo in Historia peregrinus est, ut nesciat Franciscum Olivarium eà animi fortitudine temporibus difficillimis, Rempublicam ad-
ministrasse, ut quod de Hercule cecinit olim Sene-
ca de eo, vocula immutata, dicendum putem:

auhor esset, ut nonnihil literarum ad te darem: ego contrà ineptiarum, ac potius stultitiae crimen defugerem: ille instabat, ego repugnabam: nonnulla afferebat, quæ ego nullo negotio refellebam: pervicit tamen ad extremum, non tam æquitate causæ, mea sententia, quam authoritate superior. Quam enim causam aut veram, aut verisimilem comminisci queam, cur hoc tempore tibi viro gravissimo, & maximis occupationibus disticto, meis scriptis molestiam exhibeam? Nihil abs te in præsentia petere volo, & si res cogeret, alios, qui pro me id facerent ad te allegarem. Quid ergo faber? dixit quamplurinia de tuis virtutibus, quibus ille commemorandis & celebrandis expleri non potest, quæ omnia, sicut ego arbitrabar, summam vjm ad deterrendum habebant: quò enim tu excellentior es, eò præstantissimarum actionum tuarum cursum impediri minus decet. Confirmavit præterea te lectis quibusdam

Posse regnum viribus vinci suis didicit ferendo. Et quod mireris in tanto Gallie Cancellario, et si eum Officii tam ponderosi rationes turbulentis, ac innumeris negotiis alligarent, studiis tamen amœnioribus semper incubuit.

epistolis meis , genus earum non improbase. Amcis planè mihi videar , si tibi , viro omnibus ingenuis artibus perpolito & subtili , sinceròque judicio , literas meas placu sile credam. Tibi tamen immortales gratias , sicuti debeo , ago , quòd nugas meas dignas esse , quæ à te legerentur , atque etiam laudarentur , Jacobo Fabro , studiorum meorum patrono persuaseris. Nam cùm ille in omni genere doctrinæ tibi meritò tantum tribuat , quantum nemini , nec quem abs te commendari audivit , suis beneficiis dignum judicat : hujus eximiæ humanitatis tuæ memoria ex animo profectò nunquam discessisset , meo scripto tamen ad ipsum , quia necesse non putabam , minimè declarasse , nisi me is , cui roganti negare non potui , propemodum coëgisset. Cujus periculo , quoniam in præsentia pecco , progrediar longius , tibique , si pateris , hac postrema epistolæ parte liberius gratulabor. Facile enim intellectum est ex eo , quod nuper te Confiliario & impulsore , Rex , bonis omnibus plaudentibus , edixit , de sanandis vulneribus , quæ superiorum

temporum iniquitate Galliæ nostræ im-
posita fuerunt, te divina quædam ani-
mo cogitare, & quæcunque apud
veteres philosophos de moribus & le-
gibus scripta divinitus legisti, quæ-
que longo rerum communium tractan-
darum usu cognovisti, constituisse hoc
tempore expromere. O te beatum,
qui non solum velis, sed etiam possis
prodeesse quamplurimis. Quid enim
non potest is, quem Rex maximus sum-
mo Magistratui præfecit, cuius consi-
lium in legibus ferendis & abrogandis
imprimis sequitur? Sed quoniam ea,
quæ rectissima sunt, paucis admodum
probantur, pro tua singulari sapientia pe-
detentim ad causam ingrederis, multaque
occultas, & in aliud tempus differs, ut
tardiùs quidem quām optares, faciliūs
tamen quām plerique existimarent, rem
ad exitum perducas. Quæ igitur à nobis
adhuc intellegi non vis, ea curiosius non
exquiremus. Quæ verò ad immodera-
tam quorundam hominum ambitionem
frangendam, & lites restinguendas in
luce m protulisti, cur non summa cum
laude tua commmoremus? Nulla ra-
tione, meo judicio, Galliæ melius

prospicere potes, quām si controversiarum seminarium, quoniam raditus eyelli non potest, magna ex parte circuncidas & amputes. Nulla enim est capitalior pestis hac rixandi consuetudine qua non solum omnium fortunæ absumuntur, verum etiam præclara ingenia ad liberales artes percipiendas, & res maximas gerendas idonea, fœdissimo genere morbi exeduntur & extabescunt. Audebo affirmare ego, rerum humanarum planè imperitus, & qui libenter Reipub. gerendæ laudem aliis concedo: non dubito tamen pace hoc asseverare tua, tūm demum beatas fore civitates, cūm milites à bello, medici à morbis, judices à litibus ^a abhorrebunt. Nam si nemo ex alterius damno quæstum facere studeret, si nemo ex alterius incommodis suum pararet commodum: omnes advenientiis malis, quoad fieri possit, occurrerent: Rei militaris periti, bellorum causas præciderent, nunquam nisi necessarij, & extremorum hostium in-

^a Quin potius cūm rerum publicaram administratores à sordido quaſtu, & concives ab invidia abhorrebant.

juriis compulsi , arma caperent : Medici , ne quis ægrotaret , diligenter caverent : Magistratus , multò propensiis nascentibus concertationibus obviam irent , quām in eis dijudicandis ætatem contererent. Quid ? Tu ergo hasce honestissimorum hominum nationes fame necare vis ? Imò verò in pace & otio militibus stipendium persolvi : Medicos ab iis , qui optima valetudine utuntur , mercedem exigere , causidicos & judices ab iis , qui non litigant , honorarium accipere juberem. Non dubium , quin hæc tibi otio abundanti homini optata esse videantur. Præclara quidem illa , sed quæ in tam perditam hominum colluviem induci non possint. Quid refert ? tamen in istis cogitationibus summa cum voluptate mens mea versatur : etsi non istud ipsum quod dico , aliud simile tamen . & quod eandem ferè vim habeat , excogitari posse acutissimè vidi : ac rem tanta prudentia temperasti , ut nullum ordinem , aut omnino hominem læseris. Tam bene positis initiis , quæ consequentur , quemadmodum speramus , illustriora erunt :

verùm ad res magnas efficiendas , mul-
tis præsertim adversantibus , temporis
longinquitate opus est. Te Deus Opt.
Max. quoniam in Rempublicam , tu-
endam & ornandam omnem curam &
industriam insumere decrevisti , quām
diutissimè salvum custodiat. Benè vale.

EPIST. LV.

JACOBO FABRO S.

QUOD ego præclarè à veteribus
scriptum diligenter memoriae
mandaram , verūmque esse mihi per-
suaseram , difficilem esse diuturnam
virtutis simulationem , id paucis antè
diebus , quām hæc scribebam , expe-
riendo didici. In eo qui homines be-
ne de se sperare diutius noluit , &
cùm repugnante natura omnibus ad-
mirantibus , plerisque diffidentibus ,
filii disciplinam divitiis antiquiorem
sibi esse aliquot mensibus simulasset , re-
diit ad ingenium , méque singulari per-
fidia prodidit. Sed minimè mirum est ,
in hoc eum negotio sui similem fuisse.
Neque verò tam dolendum est ,

quòd hoc suo factō mercedem illam annuam (quæ erat mihi propter angustias rei familiaris necessaria) detraxit , quām quòd adolescentem , qui jam tum nepotum tuorum exemplo , tum Gulielmi , viri probi & docti labore , meisque præceptis , ad probitatem & literas bona cum spe formari incipiebat , valdè repugnantem , sceleratè perdidit : poterit enim meum illud damnum aliunde resarciri . Juvenis ille , cuius vitiosa natura diligentia nostra , & honorum consuetudine hac tenera ætate corrigi fortasse potuisset , iis remediis amissis , vix unquam ad bonam frugem perveniet . Ita is , quem tu bonum civem olim , & patriæ utilem fore dicebas , patris culpa vitia paterna imitabitur . Equidem optarem aliter evenire , falsūmque esse hoc meum augurium : sed quis scit , an longè æquius sit , rem malis artibus quæsitam , ab hærede conviviis & alea dissipari ? Ita patris improbitatem liberorum corruptissimi mores ulcentur . Scripsi hæc verbosius contra meam consuetudinem , commotus indignitate rei , quo brevior in reliquis

cro. Cùm hasce literas dabam , quæ ad nostram in Italiam profectionem pertinebant , ita parata erant omnia , ut nihil impedire , aut etiam diutius tremorari discessum nostrum posse vide-
re. ^a Nepotes tui sanctissimè jurant , mihique persuadent , se hanc peregrina-
tionem eo animo suscipere , ut pru-
dentiores , doctiores , meliores domum revertantur : ad quam rem ego illis studium meum , operam , diligentiam , fidem sine ulla exceptione polliceor . Quid quæris ? Magnam spem habeo , fore ut volumus , ita tamen ut à cor-
ruptiore illa provincia , & ab adoles-
centiori ætate nonnihil pertimescam . Sed hæc omnia Deus optimè mode-
rabitur , ad cuius nutum & volunta-
tem omnes actiones & cogitationes meas referre constitui . Si quid aliter , atque ego cupio & spero , acciderit , cùm vacem culpa , ita rem cecidisse , ut optimè potuerit , interpretabor . Be-
nè vale , me absentem non minus quām præsentem ama .

^a Nimirūm Petri Fabri filii , de quo Epist . 43.

EPIST. LVI.

ODETO AMBROSIO SELVÆ S:

NUPER dum Patavii unà esse-
mus, cùm alia multa mihi ex ami-
corum consuetudine jucundissima acci-
derunt, tūm ex ^a Marii viri sanè op-
timi pietate fructum cæpi vel maxi-
mum. Quem cùm Pauli epistolas enar-
rantem libenter audirem, illud me
in eo sene imprimis delectabat, quòd
institutum eorum vehementer repre-
henderet, qui philosophiæ studiis plus-
quam necessæ Christianis esset, dediti,
literas aut ^b nunquam, aut serò ad-
modum attingerent. Et cùm mihi quæ

^a De quo Epist. 28.

^b Id vitio olim vertit Angelo Politiano Ludo-
vicus Vives, in tractatu de veritate Religionis
Christianæ, libro nescio quo, quia ad manum
non est Tractatus ille verè aureus. Politianus au-
tem Odas Pyndari Psalmis Davidis anteponebat;
siebatque se numquam majoris temporis iastu-
ram fecisse, quam cùm semel in vita Scripturam
Sacram legisset. Bovis, imò & Dæmonis illa vox,
non hominis. Caveant itaque Ciceroniani, ne
dùm nimis suavitatis linguae verborumque delec-
tus & circuitus, sunt studiosi, humana Christo
postponant, & salutis quodammodo immemores,
non querant quæ Dei sunt.

in hanc partem afferebat, valde probabat, tum etiam nonnullos harum rerum prorsus insolentes sua oratione permovere visus est. Gaudebam sanè, & bonos omnes non mediocrem facere quæstum arbitrabar, si doctrina summa & præstanti ingenio præditi viri, ad optimum istud & planè divinum philosophandi genus, à quo antea abhorabant, se totos converterent. Memoria tenes, cùm ego tibi de fratribus tui patronique mei Vaurensis Antiflitis sanctitate, de Poli etiam suavitate, & minimè fucata probitate multa dixisse, à quibus hæc studia summa animi contentionе coli sciebam, quod etiam de Sadoletо addiderim: cuius testimonium eò plus habere ponderis videbatur, quod cùm nullum scientiæ genus prorsus ignoraret, in ipsa autem philosophia etiam excelleret, sibi tamen Platonicū & Aristotelem præ Paulo frigere asseverabat. Quod ego non ut majorem authoritatem apud te res haberet, dictum ab eo fingebam, sed istud ipsum & de Polo, qui à Sadoletо sibi dictum confirmaret, prædicrai non semel audiveram, & ex ejus

scriptis, quæ brevi tempore non pauca in hoc genere ediderat, ita esse mihi facile persuadebam. Hanc meam de Sadoleto persuasionem & prædicacionem refellere videtur eleganter sanè ab scripta epistola, cuius authoritate & eloquentia, quoniam nonnullos ita commoveri audio, ut in eo quod facere statuerant, non perseverent: magis autem repudiata Thelogia, quam paulò antè, veluti castissimam conjugem sibi desponderant, ad veterem pellicem, quam à se dimittere cogitabant, & ejus blandissimas illecebras revolvantur: placet in præsentia tecum singula rationum momenta expendere, prolixiusque de omnibus istis agere, quām epistolæ brevitas patiatur. Petierat Polus, ut est ^a religionis am-

^a Ejus rei testimonio sunt quos edidit Tractatus de Officio Summi Pontificis, de ejusdem potestate, de ecclesiasticæ unitatis defensione, de Concilio Tridentino, & de reformatione Angliæ. Ejus minimè fucatam probitatem laudat Bunellus, talem etiam depingit Manutius, cuius ab intimo sensu numquam ne minimum quidem aut vultus aut oratio disbereparet. At ut nimiam post Panli III obitum, adipiscendi Pontificatus spem alueraat, nec suspicione eum ambiendi carebat, tunc temporis defuisse in illo animi candorem mentisque sinceritatem, non semel expro-

Iij



plificandæ cupidissimus , à Sadoleto per epistolam , ut Lazarum Bonamicum , suum contubernalem ad studia literarum sacrarum impelleret : velle id Antistitem non dubitabat : valere plurimum apud Bonamicum autoritatem ejus sciebat . Quòd si id fieri posse desperaret , saltem ab eloquentiæ studiis ad graviora illa philosophiæ moralis præcepta traduceret : se sperare , ut cùm èo pervenisset , non consistendum sibi in ea disciplina putaret , quæ altius evchere hominem certè non potest , quàm ut tandem fateatur , se hoc unum scire , quòd nihil sciāt : majore quadam luce opus esse ad tam crassas ignorantiaæ tenebras discutiendas . Hæc erant ferè , sed fusissimè dilatata , & oratoriis coloribus depicta , in ea Poli epistola . Cui respondet Sadoletus , se aliquantum ægrè ferre , quòd videre

bratum est , & satis probat Historia electionis Iulii III , cuius in Conclavi Cardinalem Theatinum dixisse perhibetur , se Polo , tanquam de fide male sentienti diem dicturum , cùm publicè cucullati cujusdam Carmelitæ opinionem professus esset , qui asseruerat cleemosinas , quas quis facit , dùm in peccato mortali existit , minimè suffragari ; & nisi post redditum in gratiam Dei sustinere posse : sed Theatino in anima erat moes Poli suspectos reddere .

videatur hæc ornamenta ab eo contemni, quæ tanta sunt, ut sine his illâ quæ omnibus præfert, constare non possint. Atqui non magis philosophiam contemnit Polus, quam Socrates, qui eam suo loco, non supremo tamen collocat, qui ab ea nos ascendere ad aliora jubet: is eam non spernit, sed inferiorem aliis esse demonstrat. Illud verò quis ferat Theologiam sine philosophia jus suum tueri non posse, id est, divina sine humanis non valere consistere? At Sadoletus se intelligere de Theologia, quatenus in scientiæ genere & ratione ponitur, paulò post indicat. Quis unquam verè pius illam rixandi & litigandi magistram laudavit? Polusne mansuetissima natura Lazarum & Bonamicum à fragran-

^a Lazarus Bonamicus, si originem species, fuit Agricolæ filius; si doctrinam, fuit Musarum aIunnus, qui dum ob incredibiles animi atque ingenii dotes literatos omnes ad sui veneracionem suaviter allexisset, Reginaldo Polo, Iacobō Sadoleto, Matthæo Dandolo, Petro Bembo, Friderico Fregosio, & Diego Mendozæ, maximè fuit familiaris; memoriam ejus veneratur Academia Patavina, cui magna cum perseverantia adhæserat, spretis conditionibus, quantæ quantæ essent, quas Ferdinandus, Hungariæ Rex, & Clemens VII ci obtulerant: quædam idio-

tissimis eloquentiae flosculis , amoenissimis philosophorum hortulis , ad saxa prærupta & aspera , spinis vepribusque obsita , à Sadoleto , cuius elegans judicium in omni genere perspectum habet , vocari vellet ? Ad veram , ad solidam , ad germanam Theologiam , qua nihil dulcius est , hominem sibi amicissimum allici cupiebat : cuius sanè vis non tam verbis exprimi , quām sensu quodam mentis intimo percipi potest . Quæ neque à Dialecticis disserendi rationem , neque à philosophis recte vivendi præcepta , aut naturæ cognitionem petit : ipsa non aliunde pendet , neque aliarum artium externis eget præfidiis : seipsa contenta est , quam in ædificio Paulus , si quis eum architectum adhibere volet , non tecti aut fastigii , sed fundamenti loco posse vulgari de latina lingua scripsit , & Epistolas non nullas partim prosa oratione , partim carmine conscriptas , dubio procul majora opera editurus , nisi in excidio urbis Romanæ , quod contigit anno 1627. Carolo Borbonio Imperatoris exercitum malè moderante , libros suos & scripta amisisset . Etsi autem amoeniores literas coluisse , Philosophia tamen ita incubuit , ut omnes sui temporis Philosophos longè superarit ; stili Ciceroniani ultra modum amantissimus fuit , etreamque statuam post mortem meruit .

net. Ac ne nos ab ædificandi similitudine discedamus : nisi fundamenta firmissima jeceris, quicquid exædificaveris, aut aquarum inundatione, aut ventorum procella impulsu ruet. Quid autem imbecillus philosophia, sive de bene vivendo, sive rerum natura loquatur? Quid? Tu ergo disciplinas à veteribus inventas vituperas? Imò verò summoperè laudo, si intra domicilium proprium manebunt, & non in alienum irruere conabuntur. Sed de hoc aliàs pluribus. Jam quòd ait, à bonarum artium studiosis laudem præcipue non expeti: speciosè sanè ista dicuntur: & Sadoletus, quod facile apparet, alios ex ingenio metitur suo. Ego verò aviditatem hanc gloriolæ in maxima quæque ingenia facilè irrepere, à nullisque nisi Christianis, & ne iis quidem vulgaribus, ex animo contemni posse, omni asseveratione confirmo. Simile est illud, omnem virtutis actionem, si ad perfectionem sui quæque generis perducatur, sibi præmium amplissimum esse. Quis putaret quicquam posse dici melius? Et tamen Christianus non tam in actioni-

bus suis , aut illo virtutum genere ,
quæ , quoad vivimus , ad summum
pervenire non possunt , quām in pers-
pecta terga se Christi benevolentia ac-
quiescit . Hæc autem à me non prop-
terea reprehenduntur , quod multum
displiceant , quibus in Philosophia ,
mea quidem sententia , dici nihil po-
test divinius : sed ut intelligent Philo-
sophi , si nobiscum signis collatis con-
gredi volent , quām debiles sint fu-
turi . De iis autem loquor , qui nostris
sacris iniciati sunt . Quod si quis u-
num aliquem ex Epicureorum genere
producat , hoc argumentorum genere
satis scio nihil proficiam . Sequuntur
similitudines quædam perbellæ illæ qui-
dem à moribus , à cultu & conforma-
tione totius corporis petitæ , sed quæ
minimè cogant nos id fateri , Chris-
tiano , qualem in suis epistolis finxit
Polus , & nos animo concipimus , hæc
omnia artium adjumenta esse ita neces-
saria . Nam ut demus Basiliū , Chry-
stostomū , Augustinū , reliquosque
illos præstantes viros , ab omnibus dis-
ciplinis instructos fuisse , eas tamen
artes , quæ liberales à nobis appellan-

tur, tanquam ancillas Theologiae, veluti Reginæ gravissimæ, servire voluerunt: Nemo etiam eorum quod sciam, inventus est, cui degustata semel litterarum sacrarum suavitate, philosophorum decreta non insipida, aut etiam amara visa sint. Et quoniam Sadoleetus intelligere se negat, quid sit illud, quod Polus dicit, tantum operæ in rerum divinarum cognitione se ponere, ut ad cæteras artes ne aspi ciendas quidem spatii quicquam relinquatur: præsertim cum instituti nostri ratio paucissimis libris, iisque non ita obscuris contineatur: libenter ex eo scire cuperem, num Gregorium, Basilium, Augustinum tot annos, quot in hoc genere contriverunt, perdidisse putet? Quicquid mihi de sanctissimis illis viris respondebit, idem ego de Polo ei reponam. Nemini, ut ego sentio, mirum videri debet, eum qui meliora se adeptum sentiat, ad deteriora non relabi: quin si quis agro seracissimo, quem habebat, relicto, ad sterilem terram colendam se converte rit, is vel soli prioris fertilitatem non cognovisse, vel planè stultus, & nul-

lius judicii existimari debet. Ego verò Poli consilium satis laudare non possum , qui omnia humana Christo postponat : cùmque philosophandi scientia , & dicendi facultate excellat , eos tamen imitari non velit , qui parum Ciceroniani , si Christum nomine appellant , parum philosophi , si de religione bene sentiant , sibi videntur. Hi si Sadoletum ipsum sibi proponerent , non quid ille in una aliqua epistola scripserit , sed quid in tota vita egerit , spectarent. Cur igitur in hanc sententiam scripsit ? Si dicerem animi causa quicquid in mentem venisset , amico rescripsisse , oportebat eum , qui omnia candidè interpretari didicisset , hoc contentum esse. Addamus tamen aliud , quod mihi verisimile fit interdum : Sadoletus , quo tempore Philosophiæ ^a defensionem in Hortensio illo suo , quem brevi expectavimus , accurate conscribit , incurrit casu in Poli epistolam , veluti in salebram , in qua quoniam non iis laudibus , quibus ornandam susceperebat , philoso-

^a Scripsit Sadoletus librum de laudibus Philosophiæ.

phiam effterri vidit? unum de vituperatoribus, contra quos quotidie commentabatur, sibi oblatum credidit. Commotus est: leviter tamen quod visum est, respondit: philosophiæ plusculum, quam ego vellem, tribuit: non propterea tamen ejus de Theologia mihi dubia esse potest sententia, qui in civitatem nostram princeps veterem eloquentiam importavit, neque solùm odas aliquot divini illius poëtæ, verum etiam Pauli ad Romanos scriptam epistolam piis latinisque commentariis illustravit. Quod si semel in manus hominum venerint, eos non solum uni epistolæ, sed omnibus etiam Hortensii libris facillimè opponemus. Ad hunc igitur sacratum literarum portum veluti ex tempestate quadam confudit Sadoletus, quod aperte ejus libri declarant, ut dubitandum non sit, quid sentiat, cum appareat quid fecerit. Contarenus, in omni disciplinarum genere facile princeps, ut non possit videri ea quæ non didicerit, parvi ducere, hanc quam jamdudum lauda-

^a Scripsit etiam Sadoletus Commentariolum in Epistolam D. Pauli ad Romanos, libros tres.

mus , Theologiam & Christianam in deliciis habet , neque ab ejus amplectu se divelli patitur. Quod si viri gravissimi judicio , minuti isti Philosophi stare volent , petam ab eo , mitissimum istud ingenium & mores castissimos unde habeat : respondebit , nihil horum reprehensionem veritus , se Christi , non Platonis , aut Aristotelis beneficio hæc omnia consecutum. Polius in hoc studio totus est , quo doctrine , suaviorem , probiorem , cognovi neminem. Frater tuus Vaurenfis Antistes , etsi studiis philosophiæ & eloquentiæ perpoliri vult , quò tres illos , quorum mentio facta est , penitus exprimat : hæc esse tamen externa fatetur , ad animum componendum aspirare posse negat : & sanè ita res habet. Veteres illi philosophi & Juris consulti pulcherrimis præceptis , æquisimis legibus , libros suos referserunt , in mentibus hominum non potuerunt insculpere. Majore quodam afflatu opus est : quod qui nesciunt , ii qua de cau-

^a Scripsit enim Gasparus Contarenus , de quo hic agitur , Scholia in Epistolas divi Pauli , de Prædestinatione , de Libero Arbitrio , de septem Ecclesiæ Sacramentis , & alia id genus.

sa

sa Christus in terras se demiserit, rursumque in cælum receperit, ignorare, aut prorsus ista esse facta mihi non credere videntur. Cogor hic finem facere, non rerum inopia (veniunt enim in mentem quamplurima) sed quia quodam animi calore, longius quam constitueram, processisse me video: reliqua in argumentum alterius epistolæ reservemus. Bene vale. Salutem ex me fratri tuo Francisco, Ferrerio, Jacobo, plurimam. Venetiis 14. Calend.

Febr. M. D. XXXIV.

F I N I S.

PERMISSION.

SVR la requisition à Nous faite par Guillaume-Louis Colomyez, Imprimeur du Roi & Marchand Libraire Juré, à ce qu'il lui soit permis de faire reimprimer les Epîtres Latines de Pierre Bunel, n'empêche l'Impression requise : avec inhibitions & défenses à tous Libraires & Imprimeurs d'en imprimer, vendre ou debiter dans Toulouse d'autres que celles du Suppliant pendant l'espace de trois années, à peine de confiscation & d'amende arbitraire. FAIT à Toulouse ce vingt-quatrième Septembre 1687.

SANTOIRE.

VE u les Conclusions du Procureur du Roi, permettons l'Impression susdite, avec les inhibitions requises. les jour & an susdits.

D'AMBÈZ.

21

